



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)




Jh. 2829 11


J. VII

14









INSTRUCTIO
PRACTICA
UNDECIMA.
CONTINENS
ARMAMENTARIUM
SEU

PANOPLIAM SPIRITUALEM,
Id est,
Varia arma & media ad omnis generis
tentationes fortiter sustinendas, &
feliciter superandas,

AD OMNIUM QUIDEM ANIMARUM
Salutis suae studiosarum instructionem & so-
latium, sed Pastorum spiritualium praecipue
commodum & levamen collecta à

R. P. TOBIA LOHNER,
SOC. JESU SACERDOTE.

*Cum Gratia, & Privilegio Sacrae Caesaris Majestatis,
Et facultate Superiorum.*



D I L I N G Æ,
Typis & Sumpt. JOANNIS CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Academici.

Per JOANNEM FEDERLE.

Anno M. DC. LXXXVIII.

Soc. JESU

JESU
CHRISTO
REDEMPTORI

A C

DU CI SU O
DILECTISSIMO,

TENTATO PER OMNIA
ABSQVE PECCATO,

Et tertium de hoste infernali
gloriosissime

TRIVMPHANTI,

EXILE HOC DE TENTATIONIBUS
VINCENDIS OPUSCULUM

Demississime dicat, dedicat, consecratque,

Atque ut optatum illi fructum largiri dignetur,
impensissime rogat, & obsecrat

Servus obstrictissimus

T. L. S. J.



P R Æ F A T I O
A D C U R A T O R E S
A N I M A R U M .

P Lures equidem hætenus vobis In-
structiones obtuli, RR. DD. Pastores,
ad Officia & functiones vestras faci-
lius, fructuosiusque peragendas, sed nulla ea-
rum magis necessaria, aut utilis, meo quidem
judicio, censeri debet, quàm præsens, cum enim,
teste S. Job c. 7., Militia (vel, ut alij vertunt,
tentatio) sit vita hominis super terram, atque
adeò semper arma spiritualia, quibus contra
hostium impugnationes se defendat, illi sint ne-
cessaria, à quo illa æquius, quàm à suis Pastori-
bus, quibus Armamentarij spiritualis cura præ-
cipuè commendata est, deberet, expetere poterit.
Ne autem & vos ejusmodi Armamentarium de-
esse vobis queramini, en amplissimum, & omni
armorũ genere instructissimũ offero. Non igno-
ro quidẽ, plures de hac materia libellos fuisse in
lucem datos, sed qui plerique de tentationibus
& mediis contra easdem in genere duntaxat lo-
quantur, non verò ad specificas & particulares
tentationes descendant, cum tamen experien-
tiã quotidianã constet, tot, tamque diversis
ten-

P R A E F A T I O.

tentationibus homines à dæmonibus impugna-
 ri, ut merito generalia arma sufficere ad eas-
 dem superandas non censeantur, uti ex ipso
 progressu huius libelli clarius patebit, in quo ad
 plerasque Tentationum species in particulari
 descendendo, pro singulis aptissima & efficacis-
 sima media præscribentur: Unde in sex partes
 tota hæc Instructio dividetur, quarum prima
 de Tentationibus circa ipsas tentationes. Se-
 cunda de Tentationibus circa Exercitia spiri-
 tualia. Tertia circa vitia. Quarta circa tri-
 bulationes. Quinta circa Personas. Sexta cir-
 ca iudicia Divina occurrentibus ita tractabit,
 ut primo quidem ipsa tentationis species Phi-
 lotheæ (per quam nihil aliud, quam quamvis
 animam Christianam intelligi volo) nomine
 proponatur; postea verò ipsa arma, quibus se-
 tueri possit, subjungantur, quæ quidem omnia
 tanto vobis gratiora fore confido, quanto effi-
 caciora hætenus illa fuisse, tum propriâ,
 tum alienâ experientiâ
 didici.



INDEX



I N D E X
T I T U L O R U M
I N

Instructionem de Tentationibus.

Prolegomenorum Art. I. Quid sit Tentatio?	Fol. 1
Articulus II. Quotuplex sit Tentatio?	3
Art. III. Quænam sint generalia Tentationum remedia?	5

P A R S I.

De Tentationibus circa ipsas Tentationes
occurentibus.

Tentatio I. De periculo Tentationis.	10
Tent. II. De gravitate Tentationis.	13
Tent. III. De multitudine Tentationum.	16
Tent. IV. De diuturnitate Tentationum.	19
Tent. V. De modo resistendi Tentationibus.	22
Tent. VI. De timore consensûs Tentationibus præstiti.	26
Tent. VII. De prostrato à Tentatione.	30

P A R S II.

De Tentationibus circa Exercitia spiritualia.

Caput I.

De Tentationibus circa Orationem, occurrentibus.

Tentatio I. Circa tempus Orationis.	33
Tent. II. Ob distractiones inter orandum.	38
Tent. III. Ob ariditatem Orationis.	41
Tent. IV. Ob siccitatem Meditationis.	49
Tent. V. Ob somnum sub Oratione.	55
Tent. VI.	

Index Titulorum.

Tent. VI. Ob negatam exauditionem.	57
Tent. VII. Ob illusiones in Oratione.	62

Caput II.

De Tentationibus circa Confessionem occurrentibus.	
Tentatio I. Circa explicationem peccatorum.	66
Tent. II. Circa dolorem confessionis.	69
Tent. III. Circa propositum confitentis.	72
Tent. IV. Circa repetitionem præteritorum peccatorum faciendam.	75
Tent. V. Circa satisfactionem.	77
Tent. VI. Circa moram ante Confessionale.	82
Tent. VII. Circa Confessarium.	86

Caput III.

De Tentationibus circa Communionem occurrentibus.

Tent. I. circa Indignitatem Communicaturi.	90
Tent. II. Circa veritatem Communionis.	93
Tent. III. Ob defectum gustus, & consolationis sub communione.	96
Tent. IV. Ob frequentiam Communionis.	100
Tent. V. Ob respectum humanum.	105
Tent. VI. Ob negotia à communione impediencia.	108
Tent. VII. Ob carentiam fructus.	111
Tent. VIII. Ob desiderium Communionis.	114
Tent. IX. Conjugum propter Communionem.	116
Tent. X. Ob compressionem sub communione.	118

Caput IV.

De Tentationibus circa concionem occurrere solitis.

Tent. I. Ob defectum occasionis ad conciones audiendas.	120
Tent. II. Ob auditorum in concione oblivionem.	123

Index Titulorum.

Tent. III. Ob ineptitudinem Concionis,	126
Tent. IV. Ob malam vitam Concionationis.	127
Tent. V. Oblongitudinem, & repetitionem Concionis,	129

PARS III.

De Tentationibus circa vitia occurrentibus.

Caput. I.

De Tentationibus circa superbiam.	
Tent. I. ob Scientiam,	132
Tent. II. Ob Eloquentiam,	135
Tent. III. Ob pulchritudinem Corporis,	137
Tent. IV. Ob divitias,	140
Tent. V. Ob honores & Dignitates,	143
Tent. VI. Ob vestium luxum.	145

Caput. II.

De Tentationibus circa avaritiam,	149
-----------------------------------	-----

Caput. III.

De Tentationibus circa Invidiam.	152
----------------------------------	-----

Caput. IV.

De Tentationibus circa Gulam.	155
-------------------------------	-----

Caput. V.

De Tentationibus circa Ebrietatem,	156
------------------------------------	-----

Caput. VI.

De Tentationibus circa luxuriam.	159
----------------------------------	-----

Caput. VII.

De Tentationibus circa Iracundiam,	162
------------------------------------	-----

Caput. VIII.

De Tentationibus circa Acediam.	165
---------------------------------	-----

Caput. IX.

De Tentationibus circa detractionem,	167
--------------------------------------	-----

Caput. X.

De Tentationibus circa Judicium temerarium.	169
---	-----

Caput.

Index Titulorum.

Caput. XI.

De Tentationibus circa Hypocrisin. 173

PARS IV.

De Tentationibus circa Tribulationes occurrentibus.

Caput. I.

De Tentationibus circa corporales Tribulationes.

Tent. I. circa molestias & dolores morbi. 176

Tent. II. Circa functiones ordinarias à morbo impeditas. 180

Tent. III. circa lucrum temporale à morbo impeditum. 183

Tent. IV. Circa molestias à morbo alijs sanis creatas. 185

Tent. V. Circa Podagræ & Chiragræ dolores. 187

Tent. VI. Circa Calculi dolores. 191

Tent. VII. Circa Famis molestiam. 194

Tent. VIII. Circa mortis timorem. 197

Caput. II.

De Tentationibus circa spiritualia bona occurrentibus.

Tent. I. Circa Persecutiones. 201

Tent. II. Circa contumelias, & convitia. 204

Tent. III. Circa Detractiones passivas. 207

Tent. IV. Circa injurias illatas. 209

Tent. V. Circa Temeraria Judicia passiva. 214

Tent. VI. Circa Inimicitias passivas. 218

Tent. VII. Circa conversationem malorum hominum. 220

Tent. VIII. Circa contemptum & derisionem. 223

Tent. IX. Circa falsam accusationem. 226

Tent. X. Circa Postpositionem. 229

PARS V.

De Tentationibus variarum Personarum.

) (5

Caput.

Index Titulorum.

Caput. I.

De Tentationibus Religiosorum.

Tent. I. Circa Paupertatem.	233
Tent. II. Circa Castitatem.	238
Tent. III. Circa Obedientiam.	241
Tent. IV. Circa alias Religionis molestias.	245

Caput. II.

De Tentationibus Monialium.

249

Caput. III.

De Tentationibus Curatorum Animæ.

Tentatio I. Circa distractiones hujus Officii.	253
Tent. II. Circa, carentiam satisfactionis in hoc officio.	257
Tent. III. Circa laborum difficultatem.	259
Tent. IV. Circa pericula corporis.	262
Tent. V. Circa pericula animæ.	264
Tent. VI. Circa sterilitatem laborum.	268

Caput. IV.

De Tentationibus Conjugum.

Tent. I. Circa discordiam conjugum.	272
Tent. II. Circa corruptos mores liberorum, & aliorum domesticorum.	277
Tent. III. Circa sollicitudinem alendorum domesticorum.	280
Tent. IV. Circa mortem conjugum vel liberorum.	283
Tent. V. Circa Zelotypiam.	287

Caput. V.

De Tentationibus Aulicorum.

Tent. I. Circa favorem Principis.	290
Tent. II. Circa dimissionem ab Aula.	292

Caput.

Index Titulorum.

Caput. VI.

De Tentationibus viduarum. 296.

Caput. VII.

De Tentationibus Orphanorum. 299

Caput. VIII.

De Tentationibus Captivorum.

Tent. I. Circa infamiam Carceris. 301

Tent. II. Circa timorem damnationis ad mortem in-
currendæ. 304

Caput. IX.

De Tentationibus in exilium missorum. 306

Caput. X.

De Tentationibus damnatorum ad mortem 309

Caput. XI.

De Tentationibus Senum. 311

Pars VI.

De Tentationibus Circa Judicia divina occurrentibus.

Caput. I.

De Tentationibus circa Deum occurrentibus.

Tent. I. Circa creationem malorum Angelorum &
hominum. 316

Tent. II. Circa permissionem peccatorum. 318

Tent. III. Circa gratiæ Collationem. 321

Tent. IV. Circa permissionem morborum, simillium-
que malorum. 323

Tent. V. Circa criminum dissimulatam vindictam. 327

Tent. VI. Circa vindictam criminum in alijs. 329

Tent. VII. Circa permissionem Tentationum. 331

Caput. II.

De Tentationibus circa Christi Personam.

Tent. I. Circa Humanitatem assumptam. 334

Tent. II. Circa Christum Eucharisticum. 336

Tent.

Index Titulorum.

Tent. III. Circa Christi passionem.	338
Caput. III.	
De Tentationibus Circa Angelos.	340
Caput. IV.	
De Tentationibus circa Homines in genere.	
Tent. I. Circa bonorum & malorum hominum confuſionem.	343
Tent. II. Circa varietatem afflictionum.	344
Tent. III. Circa iudicium univerſale.	347
Tent. IV. Circa damnatorum multitudinem.	349
Tent. V. Circa Creationem in gloria.	351
Caput. V.	
De Tentationibus circa bonos homines in ſpecie.	
Tent. I. Circa oppreſſionem Juſtorum ab injuſtis factam.	354
Tent. II. Circa Purgatorium.	357
Tent. III. Circa bonorum infelicem mortem.	359
Caput. VI.	
De Tentationibus circa malos homines.	
Tent. I. Circa malorum hominum multitudinem.	361
Tent. II. Circa beneficiorum collationem improbis factam.	363
Tent. III. Circa pœnarum infernalium æternitatem.	366

os (o) so

PRO

PROLEGOMENA
AD PRÆSENTEM
INSTRUCTIONEM.

Prius, quàm tentationes in specie, earumque remedia proponantur, operæ pretium erit, ea, quæ de Tentationibus in genere scienda sunt, breviter indicare, nimirum quid propriè sit Tentatio, quotuplex, & quæ pro illis generalia remedia aut monita præscribi soleant.

ARTICULUS I.

Quid sit Tentatio.

I. **U**T melius intelligatur, quid in hoc tractatu nomine tentationis intelligatur, sciendum est, variè hoc nomen accipi in Scriptura Sacra, & alijs libris Spiritualibus.

II. Nam. i. idem significat, ac probatio seu experimentatio, ita ut tentare idem significet, ac experimentum sumere de aliquo, ut vel ipsi tentanti, vel tentato, vel alicui alteri quidpiam innotescat; quâ ratione Magistri in Scholis Discipulorum suorum profectum indagare, atque adeò ipsos tentare dicuntur. Et in hoc sensu S. David, Ps. 15. dixit: *Proba me, Domine, & tenta me.* & de Tobia S. Scriptura c. 2. dixit: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientia illius, sicut & S. Job.*

A

III. Se-

III. Secundò Tentatio idem significat atque afflictio, in quo sensu frequenter iterum S. Scriptura hoc nomen accipit, ut cùm Tob. 12. dicitur: *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te*, Et iterum Jacobi 1. c. *Omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis*. Et clariùs Deut. 8. *Adduxit te Dominus DEUS tuus, ut affligeret, & tentaret te*.

IV. Tertiò idem significat atque Impugnatio, seu impulsio ad aliquid agendum, vel omittendum; quo sensu Sap. 14. dicitur. *Creatura DEI in odium facta sunt, & in tentationem animabus hominum, & in misericordiam pedibus insipientium*. Et iterum Eccl. 2. *Fili accedens ad Servitutem DEI, sta in timore & prepara animam tuam ad tentationem*, quã scilicet ad difficultates servitij divini averlandas, constantiamque deferendam impellaris.

V. Quartò denique & communiter sumitur pro inclinatione & motione ad aliquid illicitum perpetrandum; quo sensu accipitur Jac. 1. dum dicitur: *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à DEO tentatur. DEUS enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat* (impellendo scilicet ad peccatum) *unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*; deinde *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum*. Et his duobus ultimis modis tentationis nomen in hac Instructione præcipuè sumetur; quo sensu fortè eam etiam Petrus Chrysol. S. 71. accepit, dum dixit, quòd tentatio nihil aliud sit, quàm species fallens, quæ prospera in adversis, humanamque ignorantiam dolosos educit in lapsus.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Tentatio.

VI. **V**ariæ quidem divisiones Tentationis, ab Ascetis assignantur, sed præcipua est, quâ in Divinam, Diabolicam & Humanam dividitur. *Divina* est, quâ DEUS hominem tentat, & impellit ad aliquid per se licitum agendum; uti Abrahamum tentavit, imperando, ut Isaac unigenitum suum Filium immolaret; nam ut S. Gregorius l. 28. mor. c. 5. dixit, *tentare DEI est magnis iussibus interrogare*. *Diabolica* est, quâ Dæmon Hominem tentat, quod teste Cornelio Vischavæo Societatis JESU Sacerdote Hist. Soc. p. 1. l. 5. n. 58. tribus modis seu armis ille facit. 1. Hastâ, cum quasi eminus rerum externarum specie objectâ sollicitat. 2. Gladio, cum per corpus nostrum nos cominus aggreditur. 3. Cum Phantasiam ipsam invadit, eamque variè movet; Quotuplex sit tentatio; & hoc certamen tertium est omnium gravissimum, quo maximè Viros Pietati deditos oppugnat, hæcque non ultima causa est, cur viros bonos è seculo ad Religionem vocet DEUS, ut Magistri, quorum hac in pugna Institutio, Rectioque, est necessaria, suppetant, quorum ductu Homines à præstigiis tuti, expeditum in virtutis stadio cursum tenere possint. Porro circa hanc & priorem tentationis speciem rectè notat S. Ambrosius in l. de Abrah. quòd aliter DEUS, aliter Diabolus tentet; nam hic tentat, ut subruat, ille, ut probet, & coronet, unde David Ps. 138. rogar. *Proba me DEUS, & tenta me*. *Humana* denique tentatio est, per quam ab Homine tentamur, uti à Magistris Spiritualibus non raro Discipuli;

scipuli probari solent, dum opera eorum voluntati valdè repugnantia ipsis imperantur. Paulò aliter humanam hanc tentationem S. Gregorius l. 21. mor. c. 3. explicat, dum ait. *Mentem nequaquam negotio immunda inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat, hinc etenim Pradicator egregius dicit; Tentatio vos non apprehendat, nisi humana; humana quippe tentatio est, quàm plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia ut nonnunquam & illicita ad animum veniant, hoc utique ex nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam verò Dæmoniaca, & non humana tentatio est, cum ad hoc, quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus constringit.* Alij denique omnem tentationem diverso respectu divinam, quatenus à DEO permittitur: diabolicam, quatenus à Diabolo perficitur: & humanam, quatenus ab Homine toleratur, dici posse existimant.

VII. Quidquid tamen sit de hac divisione, certum est, sicut diversissimi sunt Hominum Genij & Affectiones, ita esse tentationum species, id quod S. Macarius ex ipso olim Dæmone cognovit, dum, ut in Spec. Ex dist. 2. exempl. 185. refertur, eundem veste lineâ indutum, & pluribus ampullis, in quibus variastentationum materias habere se dixit, instructum vidit. Hinc rectè B. Synclectica dixit: Oportet nos adversus Dæmones undique armatos existere, quoniam & exterius ingrediuntur, & deintus movent. Sicut enim navis, quæ exterius mole fluctuum opprimitur, aliquando interiùs crescente sentinâ demergitur; sic & nos aliquando operum exterius commissorum iniquitate damnamur; aliquando verò interiùs nequi-

nequitia cogitationum addicimur; unde oportet non solum exterius Spirituum immundorum nos impetus observare, verum etiam interiorum cogitationum immunditias exhaurire. Rectius ergo in progressu hujus Instructionis non multum curabitur, unde quævis tentatio proveniat, sed potius, quibus armis eidem resistendum sit, breviter, solidèque docebitur.

ARTICULUS III.

Quænam sint generalia Tentationum remedia.

VIII. **N**on equidem ignoro, innumera ad tentationes superandas remedia & arma assignari ab Ascetis, sed quæ ad pauca, eaque efficaciora revocari, & quia ad plures tentationes adhiberi queunt, generalia non immeritò Appellari possunt; de quibus proin, ne omnino ignorentur, hoc loco non nisi breviter agetur, ad scopum præcipuum hujus libelli, qui est, singulis tentationibus crebrius in praxi occurrentibus specialia arma & remedia assignare, proprius accedatur.

IX. Primum ergo remedium Christus ipse Matt. 26. præscripsit dicens: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Quâ ratione autem vigilari debeat, pulchrè S. Augustinus S. 23. de verb. Dom. c. 10. ostendit dicens: *Si ergo dormituri sumus, quando vigilabimus? corde vigila, Fide vigila, spe vigila, caritate vigila, operibus vigila. Hodie laboramus, & lampades nostra inter ventos hujus sæculi, tentationesque fluctuant, sed ardeat in robore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat potius quàm extinguat.* Hinc S. Petrus I.

c. 3. tam sollicitè monet: *Sobrii estote, & vigilate, quia Adversarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circumit quarens, quem devoret, cui resistite fortes in fide.*

X. Secundum remedium ab eodem Christo in citato textu præscriptum *Oratio* est, quæ quidem quomodo in tali casu adhibenda sit, Abbas Joannes in vitis PP. l. 3. de humil. & pat. pulchrâ similitudine ostendit dicens: similis debet esse Monachus Homini sub arbore sedenti, qui respiciens feras diversas & serpentes venientes ad se, cum non possit eis resistere, subit in arborem, & salvatur; ita & Monachus sedens in cella, & videns pravas cogitationes confugiat ad DEUM per orationem, & salvabitur. Nimirum in tali certamine constitutus quisque potest cum optimo Rege Jonatha 2. Paralip. c. 20. dicere: *In nobis quidem non est tanta Fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos, sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te; hinc Joannes Avila dicere solebat: Tentatio ad te, tu ad DEUM. Ita S. Paulus exemplo suo docuit, dum stimulo carnis vexatus tentationem Dominum rogavit, ut discederet, à se. 2. Cor. 12.*

XI. Tertium remedium est *Principio tentationis obstare*: nam, teste S. Chrysologo serm. 1. *Diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, Sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens, quòd ea subvertere fundata non possit.* Hinc S. Hieronymus monet, ut dum parvus est hostis, interficiatur, ut nequitia elidatur in semine. Et sponsus Cant. 4. hortatur, ut capiantur vulpes parvulæ, quæ demoluntur vineas; beatus enim, teste Davide Ps. 136. qui tenebit,

tenebit, & allidet parvulos Babylonis ad Petram. Quod pulchrè confirmans S. Augustinus in Psalm. 48. à D E O inquit, *quid dictum est serpenti? ipsa tuum caput observabit, & tu eius observabis calcaneum.* Diabolus calcaneum tuum observat, quando laberis, ut deiciat te, ille observat calcaneum tuum, tu observa caput illius. Quod est caput illius? initium male suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, & sequatur consensus, & tunc vitabis caput illius, & non apprehendet ille calcaneum tuum. Et confirmans id ipsum S. Gregorius l. 22. mor. c. 7. Si tentationi, inquit, in corde nascenti non festivè resistitur, hæc eadem, quâ nutritur, horâ roboratur; neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus, ubi nascitur, extinguatur.

XII. Quartum remedium non immeritò *Humilitas* assignatur; sic enim S. Antonio, dum mundum totum laqueis circumdatum videns, quæsit, quis evasurus sit? humilis, responsum est. Hinc & S. Laurentius Justinianus dixit c. 1. de cast. Conn. *Quisquis trophæum certaminis de malignis Spiritibus reportare concupiscit, necesse est, ut duplici armorum genere instructus sit, à sinistris quidem humilitate, à dextris verò oratione se protegat.* Nimirum sicut Antheus ab Hercule superari nunquam potuit, quando in terram se prostravit, sic nec humilis à Dæmone vinci poterit, quando se humiliat.

XIII. Quintum est *detectio* alicui Viro spirituali facta: ita jam olim S. Petrus Apostolus l. 3. recoll. Clem. suavitatis dicens: *Unusquisque quod eum movet, & partem, quam dolet in animo, fateatur, ut possit consequi medicinam; quæ enim silentio conteguntur,*

A 4

velut

velut multi temporis vitia difficile curantur; & ideo quoniam tacentibus non potest facile medicina opportuni & necessarij sermonis adhiberi, proferre debet quisque, in quo animus per ignorantiam languet, tacenti verò remedium dare solius est DEI. Idipsum confirmans S. Cyprianus l. de Zelo & liv. facilis, inquit, est cura, ubi plaga perspicua est, & citò ad sanitatem medela subveniente perducitur vulnus, quod videtur; uti exemplo proprio docuit Serapion Abbas, qui furtum & gulæ peccatum Abbati coram alijs aperiens Dæmonem in specie lampadis accensæ è sinu suo egredientem videre meruit, & deinceps liber à tentatione mansit, uti Calisianus coll. II. testatur. Sed & alius quidam senex, cùm Fratrem quempiam à cogitationibus, quas ei aperuerat, liberasset, eidem dixit: Non concedas Diabolo, nec relaxes animum tuum, sed magis quoties molestus est Dæmon, veni ad me, & increpatus abscedet; nihil enim sic extædiat Dæmonem fornicationis, quomodo si revelentur stimulationes ejus; & nihil eum sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes ejus. Vit. PP. l. 5. n. 13. Nimirum similis est in hoc impuro amatori, qui Puellam seducere volens, nihil magis studet, quàm ut Puella cognatus ejus Parenti non indicet.

XIV. Sextum remedium est *Resistentia fortis*: nam juxta commune Proverbium Diabolus est Leo, si cedas, si stas, ut musca recedit. Quod ipsum confirmans S. Climachus grad. I. ait, Inimicos nostros intueri animarum nostrarum vultus, & si illos viderint formidare, contrahi, vel immutari contra nos acerbius armantur; intelligunt enim versutissimè timorem nostrum; magno itaque animo adversus illos arma capiamus, contra eum

eum enim, qui alaciter pugnat, nullus oppugnando prævalet. Hinc Religiosus quidam cum acerrimas suas tentationes Patri spirituali exposuisset, & remedium petiisset, hoc unum accepit, ut semper Diabolo *Nolo* responderet. quod postquam fecit, brevi omnis tentatio evanuit. E contrario verò alius quidam Frater juvari non potuit, quia in tentatione positus non resistebat, nec ad orationem surgebat, ut fusiùs Rodriguez p. 2. tr. 4. c. 22. refert, meritò ergo S. Jacobus c. 4. monuit: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.*

XV. Septimum denique remedium est *occasionum fuga*; nam, ut rectè S. Hieronymus ep. 47. ait, *si quis putat, posse se versari in delicijs, & deliciarum vitijs, non teneri, (seipsum decipit). Quid ergo tibi necesse habes, quotidie aut perire, aut vincere? quis unquam juxta viperam securos somnos capiet? Securius est, perire non posse, quàm juxta periculum non perijse.* Hinc meritò Frater Ægidius, cum Fratres quosdam quæsiuisset, quomodo carnis tentationibus obviam irent? & aliùs se turpitudinem vitij considerare; alius se ad orationem confugere, & B. Virginis opem implorare; Juniperus autem dixisset, se mox, ubi tentationem senserit, fores occludere, diceréque tentationibus: *Auferte vos hinc, jam locus occupatus est, nec alios capit: Juniperi sententiam præferre, dixit, eò quòd fuga occasionum securissima esset tentationes (carnis maximè) vincendi ratio.*



A. S

PARS

P A R S I.

DE TENTATIONIBUS
CIRCA IPSAS TENTATIONES
OCCURRENTIBUS.

I. **V**ariæ ex hoc fonte tentationes nascuntur; nam interdum aliqui ob ipsam tentationum impugnationem, alij ob gravitatem earum, alij ob multitudinem, aut diuturnitatem, alij ob non sufficientem cognitionem earundem, alij denique ob Directoris apti defectum tentantur, pro quibus proin singulis tentationibus, specialia remedia erunt assignanda.

TENTATIO I.

De periculo tentationis.

II. **T**heophilus Juvenis conqueritur Confessario suo, se quotidie varijs tentationibus vexari, atque interdum vehementer angi, timeréque, ne talibus tentationibus aliquoties succumbat, & DEO si non omnino Inimicus, certè minùs gratus & amabilis efficiatur. Quæritur, quomodo consolari & juvare eundem debeat Confessarius?

Responsio.

III. Inprimis ei Christi, & Sanctorum exemplum proponat; si enim Salvator tentatus est, quis potest esse securus, intentatum se hujus vitæ maria transire, ut S. Hieronymus in c. 6. ep. ad Gal. discurrit. Sed & de Sanctis rectè dixit devotus Ascetal. 2. c. 9. de imit. Christi: *Nullus Sanctus fuit tam altè raptus & illuminatus, qui prius vel postea non fuerit tentatus; non enim dignus*

dignus est altâ DEI contemplatione, qui pro DEO non est exercitatus aliquâ tribulatione.

IV. Præterea jubcat eum considerare finem præcipuum, quem intendit DEUS per ejusmodi tentationes immittas, scilicet virtutis probationem, uti S. Augustinus super Psalm. 60. his verbis ostendit: *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione, quia profectus noster sic per tentationem, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit: nec vincere, nisi certaverit: nec potest certare, nisi Inimicum & tentationes habuerit.* Quod ipsum confirmans S. Chrysostomus l. i. de prov. DEI. Sic alloquitur tentatum: *DEVS te hæcenus ut Mater brachijs gestavit, nunc verò in aquas abjecit, ut tuo disceres natâre cortice; hæc ad probandam fidem, ad exercendam virtutem, ad augendum promeritum sunt.* Nempe nescimus sæpe, quid possumus, sed tentatio aperit, quid sumus, ut rectè iterum Thomas Remp. l. i. c. 13. ait.

V. Insuper ei ostendat, tentatorem nocere ei non posse, nisi ipsemet consentiat; nam, ut bene S. Bernardus S. 39. advertit, *potest Inimicus excitare carnis molestias, sed in te est, si volueris dare vel negare consensum.* Quam ipsam veritatem clariùs proponens S. Augustinus S. 197. de temp. sic loquitur: *Sed dicit aliquis: si alligatus est (Diabolus) quare adhuc tantum pravalet? Verum est, Fratres carissimi quia multum pravalet, sed tepidis & negligentibus, & DEVM in veritate non timentibus.* Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit. Jam videte, Fratres, quàm stultus est homo ille, quem ca-

nis

nis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli conjungere, & ille ad te non praesumit accedere; latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem, non enim cogendo sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.

VI. Denique demonstret illi, quòd non modò tentationes tales indicium non sint animæ parùm DEO gratæ, sed potiùs contrarium inde colligi debeat, uti Angelus Raphaël Tobiaë seniori indicavit Tob. c. 12. dicens: *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Et confirmat S. Chrysostomus hoc, 32. dicens: *Ne existimemus, esse signum, quòd nos dereliquerit, & deficiat Dominus, si tentationes nobis inferantur, sed hoc nobis maximum sit indicium, quòd DEUS nostri curam gerat; nam & si habeamus peccatorum sarcinas, quæ nos premant, poterimus magnam patientiam, & gratitudinem declarando leviores eas facere, & si non multa habemus peccata, iterum majore fruemur gratiâ, si grato animo tulerimus.* Sed nec indicium præbent hominis imperfecti ejusmodi tentationes, sed potiùs magnam virtutem & fortitudinem arguunt; nam nullum, teste S. Climacho, certius est argumentum, quòd Dæmones victi sint à nobis, quàm si nos acerrimè impugnant; quia Hostis noster, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendit; eos enim pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit, ut S. Gregorius hom. 2. advertit; & bene agnovit Discipulus ille, de quo S. Dorotheus doct. 13. scribit, quòd, cùm gravissimè à Spiritu fornicationis impugnatus, à sene suo interrogatus fuisset, an luctam hanc per preces amoveri cuperet? responderit; *Equidem laboro, Pater, ut vides,*

vides, conflictorque vehementer, sentio tamen, hoc
lucrum mihi accedere, quod sæpius ad DEUM per O-
rationem, mortificationemque recurram. Quare
DEUM potius oro, ut mihi patientiam & constan-
tiam largiatur, ut incruentam ex hac tentatione vi-
ctoriam reportem. Recreatus hoc responso senex, nunc
demum cognosco, inquit, Fili mi, quantas in via vir-
tutis progressionem feceris; nam dum quis infesto cui-
piam viro strenuè it obviam, manet humilis, sollicitus,
anxius, & his angustiis, laboribusque sensim ad con-
summatam animi puritatem pertingit.

TENTATIO II.

De gravitate Tentationis.

VII. **P**hilothæa fatetur Confessario, se varijs qui-
dem tentationibus ex permissione DEI vexari,
sed eas non difficulter superare se posse; unam tamen,
quâ ad blasphemias incitatur, intolerabilem & insu-
perabilem sibi videri, ac per eandem ad desperatio-
nem propè adduci. Quæritur, quomodo contra
hanc tentationem munienda sit?

Responsio.

VIII. Primò ei in memoriam revocet saluberri-
mum S. Pauli 1. Cor. 10. *Tentatio vos non apprehen-
dat nisi humana; fidelis autem est DEVS, qui non
patitur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet
etiam cum tentatione proventum.* Quod ipsum etiam
confirmans S. Augustinus in Pl. 61. *Noli, inquit, timere,
permissum facere aliquid Tentatorem; habes enim mi-
sericordissimum Salvatorem. Tantum permittitur ille
tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut,*
qui

qui te nesciebas, à te ipso inveniaris. Certè ex defectu hujus fiduciæ non modicum tentationes incrementum sumere, jam pridem advertit Thomas Kemp. l. 1. c. 13. dicens: *Initium omnium malarum tentationum inconstantia animi, & parva ad DEVM confidentia.*

IX. Secundò ostendat, hoc ipsum esse signum, quòd DEUS ipsum magni faciat, & in virtute ac perfectione profecisse censeat; id quod jam olim Ethnicus Philosophus Seneca advertit l. 1. de prov. c. 4. dicens: *Calamitas (& tentatio) virtutis occasio est. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis Hostes aggrediantur insidijs. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Male de me Imperator meruit, sed bene judicavit. Hoc certè generose ac DEVM amantis animæ officium est, inquit S. Chrysostomus in doctrin. Apost. Habentes autem eundem Spiritum adversitates & afflictiones ferre. Ceterum generosè tolerare tentationes atque insuper ei gratias agere, qui se tentari permittit, id demum summa fortitudinis meritò videri potest, animæq; vigilantis, & qua omnibus humanis affectibus sit superior. Quod ipsum etiam ho. 32. in Gen. Confirmans, quia DEVS noster liberalis est, inquit, & salutis nostræ curam gerit, ea de causa quasi luctam & exercendi materiam nobis proponit, ut, si, quod nostrum est, declaremus, largiore dignetur nos curâ. Quod cum scimus, ne tristemur in tentationibus, sed gaudeamus cum Paulo dicente: Nunc autem gaudeo in afflictionibus, si autem in afflictionibus gaudebat, quomodo unquam potuit in tristitia esse?*

X. Tertiò ostendat, quantò major est hostis, & pugna difficilior, tantò majoris coronæ, gloriæ, & laudis

laudis apud DEUM & Caelites obtinendæ occasio-
nem illi offerri; uti rectè S. Bernardus c. 19. de do-
mo inter. advertit dicens: *Molesta est lucta, sed fru-
tuosa, quia, si habet pœnam, habebit & coronam:*
non nocet sensus, ubi non est consensus: imò quòd resi-
stentem fatigat, vincentem coronat. id quod cœlicus
etiam cuidam Seni ostensum est, uti in Vitis PP. l. 9.
legitur, cum enim adeò gravi tentatione carnis stimu-
laretur, ut de victoria desperans, ad sæculum redire
statueret, hanc de cœlo vocem audièrit: *Tentatio-*
nes, quas novem annis sustinuisti, corona tua erunt:
revertere ergo in locum tuum, & sublevabo te à cogita-
tionibus tuis.

XI. Quartò ostendat illi, quanta gloria & laus
Davidi obvenerit ex eo, quòd, cum tam parvus ipse
esset, Goliathum tamen Gigantem intrepidè invase-
rit, & feliciter vicerit; non minorem autem ipsi etiã
obventuram, si tentationem suam gravem, quæ ipsi
velut Gigas insuperabilis apparet, audacter fuerit ag-
gressus, ei que fortiter resisterit. Hic nempe verifi-
catum iri, quod DEUS Apoc. 2. promissit dicens: *Vin-*
centi dabo manna absconditum, & dabo illi calculum
candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod
nemo scit, nisi qui accipit. Quidni ergo dicat cum
Machabæis Josepho & Azario, l. Mach. 5. *Faciamus*
& ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus Gen-
tes, quæ in circuitu nostro sunt. Ne verò terreatur
magnitudine tentationis proderit narrari illi, quod de
Adolescente quopiam similem tentationem habente
narratur, qui, cum impossibilem sibi illius victoriam
esse persuaderet, terribilis ei Gigas apparuit, quem
cum fugere vellet, ab Angelo adstante eundem po-
tius

tiùs aggredi jussus, mox, ubi eum invasit, secundana te Angelo feliciter superavit; ex quo viso didicit, non difficilem sibi fore victoriam contra tentationem, si alacri animo eidem resisteret.

TENTATIO IV.

De multitudine Tentationum.

XII. **A** Chatus Novitius conqueritur suo Directo-
ri & Magistro, se tam crebras, & varias ten-
tationes pati, ut vix respirare, & ordinarijs suis occu-
pationibus vacare liceat, atque adeò vocationem suam
ob tantam tentationum multitudinem non modicè
periclitari. Quæritur, quomodo juvandus, & ar-
mandus sit?

Responsio.

XIII. Primò eidem narret, quid Eliseus Puero
suo, quando civitatem Exercitu circumdatam nuntia-
vit, & clamavit: Heu, heu, heu, Domine mi, quid
faciamus? responderit dicens: *Noli timere, plures
enim nobiscum sunt, quàm cum illis*: id quod Pu-
er ipsa vidit, quando DEUS ad preces Elisei oculos
illi aperuit. Id ipsum ergo sibi quoque fieri credat,
uti in simili casu Moyses Abbas Isidoro Monacho
ostendit, cùm enim hic ob tentationum multitudinem
fugam ex Monasterio meditaretur, Moyses ab initio
quidem ex parte Occidentis eum per fenestram pro-
spicere, & ingentem dæmonum multitudinem vide-
re jussit, sed mox ad partem orientalem ducto mayo-
rem SS. Angelorum ad auxiliandum ipsi paratorum
copiam monstravit, & eadem Elisei verba repetijt:
Noli timere, plures tecum sunt, quàm contra te.

XIV.

XIV. Secundò revocet in memoriam illi ; quid Jonathas Filius Saul 1. Reg. 14. egerit, dixeritque, dum ad Armigerum suum dixit: *Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, & fortè faciet Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis: Idem ergo & sibi dictum credat, imò & illa ad Regem Josaphat 2. Paral. c. 20. dicta verba repeti: Nolite timere, neque paveatis hanc multitudinem; non enim est vestra pugna, sed DEI. Tantum modo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.*

XV. Tertiò significet illi, quòd etiam si millies plures essent Tentatores, ne capillum tamen moveate, multò minùs verò grave damnum inferre possint sine voluntate DEI; id quòd rectè S. Antonius ipsis dæmonibus exprobravit, quando ad illos, cùm varijs bestiarum formis assumptis cingebant eum, & velut jamjam laceraturi terrebant, intrepidus dixit: si quid virium haberetis adversùs me, unicus sufficeret, quid ergo opus apparatu tanto? En adsum, lacerate me, si permissum est vobis: sin minùs, frustranea est rabies vestra. Hoc ipsum S. Gregorius l. 2. mor. c. 3. pulchrè per exemplum Job confirmat sequentibus verbis: *Ecce permissionem verberis comitatur custodia protectionis, & Electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit, alia illius prodit, alia protegit. Si enim Job totum desereret in manu tantò Adversarij, homo quid esset? in ipsa ergo justitia permissionis miscetur, quadam libra pietatis, quatenus in uno, eodèmq; certamine & servus humilis ex oppresione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Idem ergo in manu DEI, idem in manu*

B

dia-

diaboli est, quia tenuit, quem concessit: & dando non dedit, quem Adversarij sui jaculis eiciens abscondit.

XVI. Quartò illi ostendat, quantam occasionem habeat, inter has tentationes in meritis & virtutibus proficiendi, ut de illo perinde ac de sponsa dici queat, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adæ. Qua de re S. Bernardus l. 48. in Cant. præclare sic discurret: *Donec in carne est Anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Quòd si lilium est juxta Sponsi verbum, videat quàm vigilem, sollicitamque esse oporteat fuisse custodia sui, septa undique spinis hinc inde aculeos intendentibus; nec enim vel levissimam spina punctiorem ullatenus sustinet floris teneritudo, sed mox, ut modicè premitur, perforatur. O tener, & delicate flos, ô candens lilium, increduli & subversores sunt tecum, vide, quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est Mundus spinis, in terra sunt, in aère sunt, in carne tua sunt, versari in his, & minimè ledi, divina potentia est, non virtutis tua. Etsi igitur undique tibi prospicias tribulationum (& tentationum) tanquam tribulorum aculeos intendi, non turbetur cor tuum, neque formidet scient, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent, ac nitent.*

XVII. Quintò denique narret eidem, quid Senex quidam Fratri, qui querebatur, quòd multæ cogitationes ipsum sollicitent, & nesciat, quomodo resistere illis debeat, responderit, dum scilicet illi dixit: Non repugnes contra omnes, sed contra unam; omnes enim cogitationes Monachorum habent unum ca-

put; necessarium ergo est, quæ, & qualis sit, & adversus illam reniti; ita enim & residuæ cogitationes humiliantur.

TENTATIO V.

Circa diuturnitatem tentationum.

XVIII. **M**Elania Virgo, cum tentationes suas confessorio suo aperuisset, fatetur, se quidem agnoscere utilitatem earundem, hoc unum tamen vehementer illam cruciari, quod nulla ipsi ab iisdem quies concedatur, & quod multis jam annis continuo petierit à DEO liberationem, nec tamen impetrarit. Quæritur, quomodo hic ejus dolor leniendus sit?

Responsio.

XIX. Primò suadeat ipsi, ut sequatur exemplum Fratris illius, qui tentatus, ut exiret à Monasterio, semper vesperi dicebat: cras abibo. Mane autem facto dicebat: Extorquebo, ut etiam hodie maneam propter Dominum; & sic novem annis faciens tandem liberatus est à tentatione, uti l. 9. in Vitis PP. narratur. Simili ergo modo eam circa tentationes procedere jubeat.

XX. Secundò Exemplum generosorum Ducum & Militum ei obijciat, qui hoc unum dolent, si copiam pugnandi ob defectum hostium non habeant, felicissimòsque se judicarent, si perpetuos Hostes & bellum nancisci possent; si ergo illi pro corruptibili corona & gloria hoc possunt, & faciunt; quidni idem ipsa propter incorruptibilem & immortalem gloriam facere possit, & libenter debeat? Hanc sanè

ob causam Abbas Pastor cuiusdam suo Discipulo dicenti : Pater, ecce jam tandem mihi pugnās abstulit DEUS, optatissimāque pace commutavit : respondit : Ocyus ad Dominum redi, pugnāsque tibi ut restituat, ora, ne socors fias. Abijt Frater ad Dominum, qui & imperium senis approbavit, & Fratrem pristinis tentationibus subiecit, ut Rodriq. p. 2. tr. 4. c. 2. refert. Simili ferè modo S. Joannes Baptista Cononem Alexandrinum Sacerdotem, testem Marchantio, animavit, cum enim hic licet de celo roboratus vocem audivisset dicentem : tolera & persevera : tamen ob continuam cum carne pugnam, locum mutare decrevisset, idem Sanctus velut Tutor ejus Divus his vocibus eum est allocutus : si adversaris pugnam, perdidisti coronam. Resumpsit ergo animos, & fortius pugnavit, feliciterque vicit.

XXI. Tertio ostendat illi, hoc esse singulare Providentiæ & bonitatis divinæ erga ipsum indicium, quod ipsum tentationibus talibus constanter exerceri permittat ; nam ut S. Prosper de vocat. gent. sapienter advertit, *ad magnam utilitatem Fidelium materia est servata certaminum, ut non superbiat Sanctitas, dum pulsatur infirmitas.* Hinc & S. Paulus 2. Cor. 12. de se fatetur : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanae qui me colaphizet.* Quod ipsum rectè confirmat pius Ascetal. 1. c. 13. *Sunt, inquit, tentationes hominibus saepe valde utiles, licet molestæ sint & graves, quia illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur : ut bene agnovit S. Ephrem, de quo S. Climachus c. 29. testatur, quod in summa animi malacia ac tranquillitate DEO supplicaverit, ut sibi pugnās tentationum per-*

dem pugnatas restitueret, neque materiam meriti & triumpho denegaret. Sed & de Abbatissa Sara in Vitis PP. l. 6. legitur, quod tredecim annis à Spiritu fornicationis gravissimè impugnata nunquam oraverit, ut recederet ab ea huiusmodi pugna, sed hoc solùm dixerit: Da mihi fortitudinem DEUS. Cùm verò aliquando infestior esset illi inimicus, ascenderit illa super lectum suum, ut oraret, & tunc ipsi Spiritus fornicationis corporaliter apparuerit, dixeritque: Tu me vicisti, Sara, cui illa respondit: *Non ego te vici, sed Dominus meus IESVS Christus.*

XXII. Quartò soletur eum excitando ad spem securæ consolationis, nam ut bene Thomas Kemp. l. 2. c. 9. advertit, *solet sequentis consolationis precedens tentatio esse signum, nam tentationibus probatis celestis promittitur consolatio.* Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vite. Et iterum: *Vincenti dabo manna absconditum.* Hinc S. Jacobus c. 1. ait: *omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis; quod utique de gaudio ex victoria oriri solito intelligendum est, uti Abbas Hellen expertus est, qui, cùm in horto Monasterij deambulans ardentissimum desiderium & tentationem ad ficus, quæ fortè in terra jacebant, comedendas vicisset, paulò post in raptu ad limpidissimum fontem se constitutum vidit, ubi cùm ab Angelo adstante ad herbas fontis propinquas gustandas fuisset invitatus, tantam ex ijs suavitatem & dulcedinem hausit, ut nullam ei similem in terris reperiri posse crederet.*

* *
*

B 3

TEN-

TENTATIO VI.

De modo resistendi tentationibus.

XXIII. **G**ertrudis Virgo devota queritur Confessario, se varijs agitari assidue cogitationibus & desiderijs, nescire tamen, an à bono vel malo spiritu proveniant; se neque modum scire resistendi tentationibus, utpote quæ in solitario loco habitans, hominem non habeat, à quo pro ejusmodi certamine instrui queat. Queritur, quomodo eidem sit respondendum?

Responsio.

XXIV. Inprimis significet illi, quid S. Gregorius in Pastor. de discretionem Spirituum dicat: *Quis sit Spiritus*, inquit, *qui loquitur*, ipsa suggestio declarabit; *semper enim Spiritus carnalis mollia, Spiritus Mundi vana, Spiritus malitia semper amara loquitur.* Eundem ad finem non parùm juvabit, si duæ regulæ S. Ignatio pro pleniori Spirituum discretionem præscriptæ bene observentur, quarum prior hæc est: *Sedulo & accurate excutienda sunt cogitationes nostræ circa principium, medium, & finem suum, quæ tria si rectè se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis: sin autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima prius quarendo sequi decrevisset, vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatam quæ prius aderat, quiete, & tranquillitate, evidenter tunc erit indicium, auctorem esse cognitionis ejusmodi spiritum malignum nupote utilitati nostræ summè adversum*

versantem. Posterior regula hæc est: Eorum, qui promovent in bono salutis, animis se insinuat uterque spiritus diverso modo, bonus quidem leviter, placide ac suaviter, sicut aqua stilla in spongiam illabens; malus verò duriter, implacide & violenter, cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram, illis autem qui in dies tendunt in deterius, oppositum prorsus usuvenit. Cum sanè diversitatis ratio est, quatenus Angelo utriuslibet similis est, vel dissimilis animæ dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu & pulsu, qui facile adverti queat, ei se conjungit. Si conformem verò, tanquam in apertam & propriam domum subit cum quiete.

XXV. Secundò significet illi, quid pro eodem fine S. Gregorius in lib. Past. sapienter adverterit dicens: Antiquus hostis ex proprio certamine, dum se succumbere considerat, ad alia tentationum bella restat. Intuetur humani generis uniuscujusque mores cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ facilius novit inclinare mentem. Id quod P. Leo Societatis JESU Sacerdos, & Collegij Conimbricensis Rector corporaliter quondam vidit, dum diabolum inter Fratres sub specie Æthiopis circumeuntem, & singulorum pulsum explorantem vidit; cum verò vnius pulsum tetigisset, vehementer exultantem, eò quòd Fratrem illum tentationi contra vocationem tepide resistere, atque adeò de nocte aufugere decrevisse advertisset, uti in MS. Ingolst. c. 23. §. 33. refertur.

XXVI. Tertiò significet illi, quid Senex quidam Fratri quærenti, quid facere debeat, si in aliquo loco fuerit, & oriatur tentatio, nec habeat, cui tenta-

tionem talem aperire possit? responderit, quòd scilicet eidem dixerit: *Crede in DEO, quia ipse mittet Angelum suum, & gratiam suam, & ipse tibi est consolatio, si in caritate rogaveris eum.* Et addidit dicens: *Audivi, quia in Scythi erat quidam, qui sustinebat tentationes, & non habens fiduciam in aliquo, cui confiteretur, parabat vespere melotem suam, ut discederet, & ecce apparuit ei gratia DEI in specie Virginis, & rogabat eum dicens: Nusquam vadam, sed sede hic mecum; nihil enim ex his malè fit, quod vidisti: qui credens verbis ejus sedit, & statim sanatum est cor ejus, ut in Vitis PP. l. 9. legitur.*

XXVII. Quatò eidem narret, quid olim S. Pachomio dæmon, cùm eidem hic Sanctus exprobrasset, quòd homines, à quibus læsus non fuerit, diu, notuque improbissimè infestet, responderit, dum dixit: *Nos ad fores pulsamus, dare aditum aut negare penes vos est: si aperitis, mox intrò ruimus, & imaginationem occupamus, unde facillimum nobis est, cæcam voluntatem, totumque hominem expugnare.* Quòd si resistitis, & mox initio prohibetis ingressu, nos victi sumus, & velut fumus evanesimus. Hinc S. Terefia in itin. perf. c. 23. dicebat: *Non habet dæmon potentiam ad generosas & resolutas animas tentandas; ab illis enim sibi inprimis metuit, quia experienciâ novit, magnum sibi ab illis damnum accidere, & quidquid producit, ac dirigit ad nocendum illis, hoc totum tam in ipsarum, quàm aliarum commodum cedere, & damnum se referre; id quod Ruffinus l. 3. n. 224. aptâ similitudine declaravit dicens: Sicut ad ollam succensam muscæ non appropinquant; si verò tepida fuerit, insident*

in ea, & faciunt vermes; ita hominem succensum igne divini amoris fugiunt Dæmones, tepidum verò illudunt, & sequuntur.

XXVIII. Quintò denique, hortetur eam, nunquam sibi polliceatur securitatem à tentatione, sed potius sibi persuadeat, unâ superatâ aliam secururam, ideoque semper ad pugnam præparata consistere studeat, nam, ut prudenter Ven. Beda super Lucam advertit, *sæpe antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illata malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddidit, repente rediens, facilius inopinatè irrumpat.* Hinc rectè S. Bernardus S. 15. in Ps. *qui habitat, hortatur? Præmonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione victurum, ut, cum fortè tollitur aliqua, alteram securus expectet.* Qua in re consideranda nobis est tam benigna pietatis divina dispensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne fortè periculosiores occurrant, ab aliquibus verò citius liberet, ut possimus in alijs, quas utiliores nobis prævidit fore, exerceri. Facit nempe id ipsum, quod olim Clemens Rex Spartanus, teste Plutarcho, fecit, qui interrogatus, cur Argivos victos non delevisset? respondit, ne desint, qui Juvenes nostros exerceant. Unde rectè Thomas Kemp. l. 3. c. 35. monet: *Fili, nunquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris, semper arma tibi Spiritualia sunt necessaria; quia, etsi tu dicas, quòd mortuus sis mundo, Diabolus tamen necdum est mortuus, ut bene quondam, Senex quidam Monacho simile quid dicenti respondit.*

B §

TEN

TENTATIO VII.

*De timore consensûs tentationibus
præstiti.*

XXIX. **M**Echtildis honesta Matrona gravissimis & assiduis carnis tentationibus vexata, perpetuò angitur, & timet, ne assensum præbuerit ejusmodi tentationibus, aut morosè delectata sit, sicque mortiferum admiserit peccatum. Quæritur, quomodo hos ei scrupulos & anxietatem eripere debeat Confessarius?

Responsio.

XXX. Primò ei significet, quòd probatissimi & gravissimi Authores doceant, ejusmodi Personas timoratas nunquam credere debere, se mortaliter peccasse, nisi certò & evidenter sciant, imò etiam jurare possint, se lethiferum peccatum admisisse; cui sententiæ tantò firmiùs adhærere possunt, quantò graviora sunt fundamenta, quæ eam probabilem atque securam esse persuadent; nam imprimis tanta est peccati mortalis malitia, ut vigilem latere non possit; nec, ut Richardus de S. Victore ait, committi queat sine gravi corruptione sui, sine gravilæsione proximi, sine magno contemptu DEI; quis ergo credat, tantum damnum tantamque læsionem mox corrigi, & omnia in integrum restitui, DEUM statim super omnia amari, qui antea vilissimæ rei postpositus, & insuper habitus fuit? P. Jacobus Alvarez certè p. 3. l. 1. c. 12. §. 5. ait, consensum in tale peccatum tam impium esse, ut, si quis statim post factum dubitet, an deliberatè consenserit, vel facti statim ipsum pœniteat, probabiliter judicare possit,

possit, se non consensisse, cum non soleat animus à Deo averſus tam subito ad eundem iterum converti. Præterea cum malitia peccati mortalis in mala voluntate consistat, timor autem, quo timet Mechtildis, ne consenserit, vel maximè bonam voluntatem arguat adesse, merito etiam ex hac parte timorem admissi peccati deponere potest.

XXXI. Secundò suggerat ei doctrinam à S. Henrico fusone propositam, qui, cum priùs de hac materia loquens dixisset: *Vel una tantum vana complacentia suiipsius hominem in D E I oculis deformiorem reddere posset, quàm vel mille, licet pessima, tales incidentia, subdit hæc verba: Verumtamen latet in isto occulta quadam pressura, qua est subtilissimus funis, qui hic contingere possit; Et hæc est, quando homini prava aliqua cogitatio incidit: Et ipse fortassis cum delectatione ei intendit, atque suiipsius oblitus non ita celeriter se cum voluntate Et deliberatione illi intendisse, Et seipso neglecto peccasse mortaliter. Sed absit, ut hoc ita credamus; concors namque multorum etiam Sanctorum sententia est, rationem sæpe per importunas incidentias in delectationem pervenire, idque satis bonâ morâ, Et longo tempore, antequam ratio suiipsius per maturam deliberationem plenè compos fiat, Et tunc ea recipere, vel averſari, peccatum admittere, vel respuere potest. Quod cum ita sit, nequaquam in talibus peccatum mortale homines boni metuere debent, si sana atque Catholica doctrina fidem adhibere volent. S. Augustinus namque adeò voluntarium peccatum esse dicit, ut, si voluntarium non est, peccatum nullo modo sit habendum.*

XXXII. Tertiò eidem narret, quod ex Gersone refert

refert Rodriquez p. 2. n. 4. c. 20. in hæc verba : Habemus super his exemplum de quodam Monacho in Eremito, qui talibus cogitationibus turpibus vexabatur viginti annis, & nemini audebat aperire tentationem hanc propter ejus abominationem. Tandem tamen culpam experto Patri eam non ore, sed scripto obverecundiam detexit. Qui ridens ait: Pone manum tuam super caput meum; quod cum ille fecisset, ait idem Pater: super caput meum accipio totum istud peccatum tuum, & omne pondus ejus. Non ergo tu amplius inde conscientiam aliquam habeas. Cum autem super hoc miraretur, & causam hujus quæreretur, Respondit Pater quærendo: Placuitne tibi unquam ista cogitatio? absit, inquit, ille, nam maximè semper mihi displicuit. Et ait Pater: Manifestum est ergo, quòd tu eam non agis, sed pateris, antiquo hoste procurante, & te, ut decipere tandem per desperationem posset, ita fatigante. Nunc ergo, Fili mi, audi consilium meum, & cum te iterum invaserit talis turpis cogitatio, dic: Tibi & super te Inimice nequam, sit hæc tua blasphemia, ego nihil in ea habere volo, sed Dominum meum ego adoro, & veneror, ac in ipsum credo. Ex post verò iste Pater nunquam habuit amplius hanc tentationem, consilio senis adjutus.

XXXIII. Quartò non parùm proderit referre, quòd idem Author l. c. de S. Catharina Senensi refert, quòd scilicet, cum aliquando diu, multumque tallium cogitationum æstu fuisset jactata, Christusque ei apparens, omnes illas tentationes dispulisset, illa suaviter & verecundè exostulans dixerit: Ah Domine, ubi eras, cum hæc phantasmata meum cor obfiderent? cui Christus; Intus in corde tuo eram. Mi

JESUS

JESU, excipit illa, poterásne in tam sordido pectore habitare? Etiam, O Filia respondit iterum Christus Sed age, delectabárisne ejusmodi cogitationibus? imò verò, inquit illa, me propè exanimabant; certè omnia alia pati maluissém. ad quæ Christus, & hoc nimirum ego in corde tuo agebam, ut tantopere tibi displicerent. Scito ergo, tales cogitationes, dum tibi displicerent, DEUM non solùm tibi non eripere, sed potiùs præsentia illius certissimum esse argumentum, quandoquidem non nisi ab ipso hoc peccati odium, & offensæ divinæ injecta formido oriri poterat. Ipsissimus profectò Dominus nobiscum est in tribulatione, in flamma ignis, in medio rubi.

XXXIV. Quartò eidem significet, juxta communem Ascetarum sensum, optimum esse in tali casu consilium, ut hilaritas potiùs mentis, quàm angor assumatur; talem enim tristitiam & anxietatem non modò nihil prodesse, sed obesse potiùs, novásque tentationi vires subministrare, id quod aptâ ratione ex ipsis Philosophiæ principijs petita sic demonstrant: Constat, inquit, ex communi Philosophorum doctrina, quòd timor naturaliter Phantasiam moveat, atque adeò, si hæc multùm circa unam quampiam rem occupetur, fortiùs illam, tenaciùsque memoriæ imprimat, unde postea tentatio longè vivacior insurget. Quemadmodum in trabe non admodum late clarè videri potest, quæ si humi jaceat, ludibundus quis transilit; si verò super fluvium subterlabentem, aut elevatori quopiam in loco collocetur, non sine ingenti metùs & pilorum horrore calcabitur; quia videlicet metus plerumque sanguinem inrorsum vocat, sicque efficit, ut exterioribus membris vigore suo

suo destitutis, non sine periculo & horrore quis incedat, Unde meritò S. Antonius extremum suis valedicturus, sic eos alloquebatur: Vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdati: Varias Dæmonum insidias nôstis: vidistis eorum imperus feroces, & vires effeminatas. JESUM suspirate, & credulitatem nominis ejus vestris figite mentibus, & à certa fide universi Dæmones fugabuntur. Si alacres in Domino fuerimus, & futurorum bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus DEI committamus, nullus Dæmonum ad pugandum valebit accedere. Una est ratio vincendi inimicum lætitia spiritualis, & animæ semper cogitantis Dominum jugis recordatio. Ita S. Athan. in vita c. 20. & 58.

TENTATIO VIII.

De prostrato à Tentatione.

XXXV. **A** Chutius Juvenis cùm gravissimæ catenis tentationi succubuiisset, & consensum præbuiisset, adeò ex casu tali pusillanimis est factus, ut de victoria deinceps reportanda penitus desperàrit, ideòque nunquam ampliùs tentationi se opponere, sed ultro cedere statuerit. Quæritur, quomodo erigendus sit à Confessario, & à concepto proposito abducendus?

Responsio.

XXXVI. Inprimis ipsum hortetur sequentibus pij Ascetæ l. 3. c. 6. de imit. Verbis: *Certa tanquam miles bonus, & si interdum ex fragilitate corrui, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori*

DEI

DEI gratia; nam, ut S. Gregorius ho. 34. in Evang. rectè advertit, sicut Dux in prælio plùs illum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter petit, quàm illum, qui nunquam tergum præbuit, sed tamen etiam segniùs militavit; sic DEUS sæpe illos plùs amat, qui post peccatum ferventiùs illi servièrunt, quàm qui peccato mortali nunquam commisso, tepidos se in ejus servitio exhibuerunt.

XXXVII. Secundò jubeat illum considerare, quantopere laudare soleant homines illum Ducem, qui primò quidem in fugam actus est ab hostibus, sed postea relictis viribus & militibus fortiùs se opposuit, & victoriam feliciter reportavit; cur ergo non & ipse speret similem laudem apud DEUM & Homines, si post lapsum fortiùs pugnaverit.

XXXVIII. Tertiò pariter perpendere eum jubeat, quid dicturus esset, si parvum Puerum cum grandiori longè & robustiori Viro certantem, videret, & licèt sæpius à suo Adversario prostratus esset, mox tamen iterum surgeret, iterumque ipsum invaderet; an non egregiam ex talis Pueri mascula animositate voluptatem esset capturus? similem autem recreationem ipsum quoque facturum, si post lapsum mox surgat, & animosius hostem aggrediatur.

XXXIX. Tertiò eidem narret, quid Abbas Sisoës cuidam Monacho responderit, quærenti, quid facere post lapsum debeat? dixit enim illi: Surge. Cùmque subjiceret Monachus, se surrexisse, & iterum cecidisse, respondit Sisoës, iterum surge. Iterum verò quærenti, quoties tandem surgendum esset, donec mors inquebat, aut stantem te, aut jacentem inveniat Sanchez p. 4. Reg. c. 7.

XL. Quartò suggerat illi consilium à Francisco Labata V. Pœn. in loc. comm. datum, dum ait : Omnis peccator perit, sed non eodem modo ; nam alij qui pereunt ut gemma, nullam emittens vocem, quærø Dominum, ut ipsam quærat, & sic obstinati Peccatores pereunt ; alij pereunt sicut ovis, quæ balatu suo movet Pastorem ad ipsam requirendam, & tali modo Peccatores non obstinati pereunt, quorum typo erat David. dicens Ps. 118. *Erravi, sicut ovis, quæ perijt, quære servum tuum, quia mandata tua non sunt oblitus.*

XLI. Quintò denique proponat exempla eorum Sanctorum, qui post lapsum surrexerunt, & gratissimi DEO effecti sunt, quales sunt S. David, S. Petrus, S. Maria Magdalena, S. Augustinus & similes, ita ut meritò S. Gregorius dixerit c. 52. past. *Fit plerumque gravior DEO amore ardens vita post culpam, quàm in securitate torpens innocentia.* Jubeat ergo hos sequi, & sicut Equus generosus cespitans extemplo assurgit, & dispendium celeritate cursûs compeniat, ita & ipse per pœnitentiam se erigere, & novo fervore subsequente priorem acediam & lapsum resarcire.

P A R S II.

D E T E N T A T I O N I B U S
C I R C A E X E R C I T I A S P I R I -
T U A L I A.

XLII. **V**aria sunt Exercitia Spiritualia, ex quibus tentationes variae oriri possunt nempe O-
ratio, Confessio, Communio, Examen conscientiae,
Lectio

Lectio Spiritualis, Concio, de quibus proin omnibus per diversa Capita in hac altera parte agitur.

CAPUT I.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
ORATIONEM OCCUREN-
TIBUS.

II. **C**irca hanc, si circa ullam aliam frequentissimas occurrere tentationes, apud devotas maximè Personas, quotidianâ constat experienciâ; aliæ namque tempus ad orationem sufficiens se non habere, aliæ distractionibus sub ea assiduis se vexari, aliæ nullum se in ea gustum & consolationem experiri, aliæ nullas sibi sub meditatione pias cogitationes incidere, aliæ varijs illusionibus Dæmonis expositas se jacere, aliæ varijs scrupulis circa attentionem & pronunciationem cruciari, aliæ denique preces suas non exaudiri queruntur; contra quas omnes proinde tentationes Pastor commissas sibi Animas armare congruis armis debet.

§. I.

Tentatio I. circa tempus Orationis occurrens.

III. Sophia Ancilla ad devotionem admodum propina queritur suo Confessario, se domesticis Famulitijs sui negotijs adeò occupari, ut nullum propemodum tempus ad respirandum, & orationi vacandum habeat; imò quòd præ cæteris eam angat, nec Missæ quotidie audiendæ sibi facultatem concedi, adeoque preces ratione Variarum Congregationum, quibus
C nomen

nomen dederit, persolvendas absolvere non possit.
Quæritur, quomodo huic tentationi occurrere debeat
at Confessarius?

Responsio.

IV. Inprimis ostendat eidem, non defuturas occasiones etiam diutius orationi vacandi, si easdem oblectare velit, & vel tempus aliquod somno longiori, vel inutili garrulitati subtrahere; vel dum labores nullam singularem attentionem requirentes peragere solet. Certè S. Climachus testatur de coquo quodam, qui ducentis quotidie Personis cibos præparare debebat, & tamen sapidissimas sub tali labore meditationes & orationes ad copiosam lacrymarum profusionem excitantes faciebat, dum ex consideratione ignis, quo ad cibos coquendos utebatur, ad considerandum ignem infernalem transibat. Et verò quis nescit, quoties Ancillæ soleant, medias noctes, vel multas saltem horas somno suffurari, ut saltationibus, vel colloquijs cum suis Amasijs vacare possint; cur non & ipsa quadrantem vel mediam horam subtrahere somno queat, ut cum D E O, amantissimo animæ sponso, colloqui queat, maximè cum meritò sperare possit, refectionem corporis, quæ ex somno propter orationem negligitur, per Orationem meliùs recuperari.

V. Secundò ostendat, DEUM non requirere longas orationes, sed etiam brevissimis, modò frequentius repetitis contentum esse; sic enim Christus ipse Matth. 6. dixit: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim, quòd in multiloquio se exaudiantur. Nolite ergo assimilari illis, scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.*

Hoc sanè Christi monitum accuratè Ægyptij Monachi observârunt, de quibus S. Augustinus ad Probam c. 10. sic loquitur: *Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta intentio per productiores moras evanescat.* Sic & S. Gertrudis trecenties intra diem dicebat: *Domine, Fiat voluntas tua.* S. Ignatius perpetuo in ore habebat: *Omnia ad maiorem DEI gloriam:* Sed & Cassianus mirè versiculum: *DEUS in adiutorium meum intende:* commendat. Quod si non placeat ipsi his uti, ipsam orationem Dominicam in preces jaculatorias convertat, & cum laborat, frequenter dicat: *Sanctificetur nomen tuum:* in adversis: *Fiat voluntas tua sicut in celo, & in terra;* in necessitate: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* in tentatione: *Et ne nos inducas in tentationem:* in periculo: *Ah Domine, libera nos à malo.* Post peccatum admissum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* Quæ quidem orationes jaculatoriæ Christo tantò gratiores creduntur futuræ, quantò majori affectu eas ipsemet olim suis Apostolis dictavit.

VII. Tertiò illi ostendat, quomodo particeps fieri possit orationum ab alijs peractarum, si alijs gratuletur occasionem orandi, & opera sua ad eundem finem, ad quem ipsi suas orationes perficiunt, dirigere studeat. Ita sanè S. Augustinus insinuavit dicens: *Congraude illi, cui DEUS aliquam gratiam dedit, & potes in illo, quod in te non potes. Ille habet fortè Virginitatem, ama illam, & tua est. Iterum tu habes maiorem patientiam, diligat te, & sua est.* Hoc ideo, quia in illo tu es; per proprietatem enim non es tu, per charitatem tu es. Sic-

que jure dicere poteris cum Propheta p. 118. *Participo ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

VIII. Quartò ostendat illi varios modos, quibus defectum talem orationis compensare possit, nempe
 1. per ardens desiderium; nam, teste Galfardo apud Nierenbergium l. 1. ascet. doct. 8. c. 74. *Vir desideriorum, vir orationum est; & bene semper orat, quia bene semper optat sine intermissione, efficacius enim apud DEUM vota, quàm verba clamant.* Sic, ut S. Anselmus testatur, orabat Moyses, cui tacenti Dominus dixit: quid clamas ad me? clamabat enim corde, quamvis nihil diceret ore. Ita jure desiderium, & incessibilis amor assidua est oratio Sanctorum. 2. Compensare potest per Obedientiam seu observationem mandatorum divinorum & humanorum; sic enim Sirachides c. 35. indicavit dicens: *Qui conservat legem multiplicat orationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis.* Quod ipsum confirmans etiam S. Augustinus in Pl. 148. dixit: *Vis semper laudare DEUM? benefecisti omnia, quae facis, & semper laudasti DEUM.*

IX. Quintò denique ostendat eidem, si ipsum etiam orationis finem considerare velit, ipsam facilius, copiosiusque per obedientiae opera obtenturam, quàm per orationem; quis enim alius est finis Orationis, nisi ut DEUS laudetur, benedicatur, gratiae eidem pro beneficijs acceptis agantur, & variae ab illo gratiae impetrentur? haec omnia autem per servitium ex obedientia praestitum melius obtineri, vel ex ipsa sua Domina illam discere posse. Ponamus enim Dominam hanc ipsi praecipere, ut in culina, cibos pro mensa praepararet, ipsam verò, reponere, quòd malit Dominus

sua in cubiculo suo cantionem & Musicam jucundam
canere in laudem illius, & gratiarum actionem pro be-
neficijs, novarumque gratiarum aucupationem; an
non facessere eam jubebit Domina cum sua cantione?
an non dicet, ciborum preparationem nunc optimam
fore cantionem, & per eam maximè favorem suum,
& gratiam conciliari posse? idem ergo de laude DEI
& oratione sibi dictum putet, eumque in finem sæpe
revolvat, quod in libro de illustr. vir. Ord. Cisterc.
legitur de Laico quodam Fratre, qui, cum in ipso As-
sumptionis Festo oves in prædio custodire jussus, &
hoc imperium ex obedientia libenter executus fuisset,
S. Bernardus illius Cœnobij eo tempore Abbas ad
Fratres suos sermone habito dixit inter alia, ipsos qui-
dem DEO, DEI paræque gratissimum devotionis sa-
crificium obtulisse, verumtamen Fratrem hunc, qui
oves ex obedientia custodiêrat, & voluntatem Super-
iorum suæ devotioni prætulerat, tam acceptum DEO
& SS. cœli Reginae obsequium præstitisse, ut nullius
quantacunque suspensa contemplatio seu intensa de-
votio ipsius devotioni, quam non alta contempla-
tionis sublimitas, sed submissa sanctæ Contemplatio-
nis humilitas excitaverat, præferri potuerit. Quo au-
dito, inquit Author, mirati sunt universi, præcipuè
tamen gavisi sunt, & vehementer ædificati Fratres Lai-
ci, quos Obedientia tam festivis, quàm privatis die-
bus frequenter in diversa opera trahebat, certissimè
scientes, quoniam sicut septa claustrî, & parietes tem-
pli, Sanctum non faciunt timorem Domini negligem-
tem, sic etiam negotia, quæ causâ terrenæ necessita-
tis obedientia injunxerit, nil obesse posse puras ma-
nus in oratione levanti. Videatur Spec. Exempl. dist. 3. ex

§. II.

Tentatio II, ob distractiones inter orandum.

X. Juliana devota admodum Matrona gravissimè tentatur ex eo, quòd assiduas inter orandum distractiones patiatur, & licet sæpiùs repetat orationes cum talibus distractionibus peractas, æquè tamen in posterioribus, quàm prioribus distracta permaneat, unde satius judicans, non orare, quàm orando peccare, decrevit omnino orationem omittere, & hoc suum propositum, totàmque tentationem Confessario suo aperit. Quæritur, quomodo eam consolari, instruireque debeat Confessarius?

Responsio.

XI. Inprimis cùm solatium non modicum sit, solios miseriæ habere, ostendat illi, quàm communis sit hæc fragilitas, animique inconstantia, ita ut S. Bernardus cuiuspiam, qui facile putabat esse sine distractionibus orare, ausus sit, equum suum promittere, si semel orationem Dominicam sine distractione recitaret, quem tamen is lucratus non sit, eò quòd sub ipsa recitatione quæssiverit, num etiam frenum cum equo oblaturus sit.

XII. Secundò ostendat, distractiones has, si voluntariæ non sint, non modò ingratam DEO, Sacerdotique, & ipsi oranti infructuosam orationem non efficere, sed potius contrarium operari: uti ipsam testari debet, si sequens ei quæstio proponatur, & quærat, si duas Virgines in templum euntes videret, quarum una sine omni impedimento ad templum veniret, & oraret; altera mox, ubi è domo exisset,

à procacibus Juvenibus invitaretur ad ambulandum cum illis in hortum, variâsque recreationes instituentes, quos tamen illa fortiter & constanter repelleret; sed & in templo postea ab alijs Virginibus ad garrendum incitata, neutiquam se moveri pateretur, quam ex hisce magis laudandam, atque à DEO præmiandam crederet? utique posteriorem diceret, idem ergo & ipsa speret, si contra voluntatem distractiones patiatur, id quod DEUS aptâ quondam visione declaravit. Cum enim duo simul eodem in loco orarent, quidam transiens vidit singulis coronas aureas super caput, uni quidem propinquè, alteri verò remote admodum imminere; quare finitâ oratione visionis intellectum expiscaturus, utrumque ad se vocavit, & quâ oratio successisset, interrogavit, cui prior respondit, nunquam peius se orâsse, eò quod sine ulla attentione, & devotione orâisset; posterior verò fassus est, nunquam sapidiùs se orationi vacâsse; ex quibus responsis collegit, alterum plùs orando, non obstantibus distractionibus, promeritum fuisse, uti corona capiti propinquiùs imminens indicabat. Meritò ergo Thomas Kempensis l. 3. c. 6. Solatur talem Personam dicens: *Nec est illusio, quòd aliquando in excelsum subito raperis, & statim ad ineptias solitas cordis reverteris, illas enim invitè magis pateris, quàm agis: & quamdiu displicent, & reniteris, meritum est, & non perditio. Non ergo te conturbent alienæ Phantasia, de quacunque materia ingesta. Fortè serva propositum, & intentionem rectam ad DEVM: invoca divinam gratiam, abige cum Abrahamo volucres Sacrificium orationis absumere volentes; nec*

C 4

du-

dubita, gratiorem fore orationem tuam, quam si sine distractionibus oravisses.

XIII. Tertiò hortetur illam, ut neutiquam desistat ab oratione propter distractiones: sic enim diabolus intentum finem obtineret, ut qui videns, quod omnia bona ex oratione velut fonte profluant, Holophernem imitatur, & ante omnia hunc fontem obturare conatur; unde S. Climachus grad. 18. ait, sicut ad sonum æris campani Fideles & Religiosi ad Ecclesiam precatum confluunt, ita & nobis in preces effusis, omnes nequam Spiritus invisibiliter convenire ad impediendam orationem, uti Abbati Marcello etiam ostensum est, dum diabolos sono tubæ ad hoc evocatos fuisse audivit. Sed & ipsa Deipara, teste Blosio c. 3. monil. dixit quondam B. Birgittæ: Genius huius inferi Draconis est, ut omnis generis pedicas & retia tendat hominibus effundere cor suum per orationem desiderantibus coram Conditore suo DEO, verum tu Filia mea charissima, quantumcunque senseris, & ejusmodi illusionibus, hostisque maligni insidijs exagitari, cave, in via DEI, cursuque orationis idcirco vel subsistas, vel retrocedas, sed persevera potius & lacriter in bona tua voluntate, sanctisque desiderijs tibi supernè immissis, plurimum enim id & placebit Filio meo, & tu augebis coronam justitiæ in illo die.

XIV. Quartò illi ostendat, quot virtutum exercendarum occasionem habeat, si ejusmodi distractiones voluntarias æquo, humilique animo ferat; nam imprimis actum Religionis tantò præstantiorem exercet, quantò plures in eo exercendo difficultates reperiuntur. Deinde actum patientiæ non minùs pretiosum

tiosum ob eandem causam. Sed & actum Fortitudinis heroicum, dum propriæ inclinationi tam fortiter resistit: actum quoque constantiæ egregium, dum in oratione, non obstantibus distractionibus, perseverat: actum denique humilitatis DEO gratissimum, dum suæ mentis instabilitatem agnoscit, & ex hac agnitione occasionem despicientiæ propriæ sumit: ut adeò gaudere potius, quàm tristari debeat ob ejusmodi incidentias importunas animo occurrentes.

XV. Quintò denique vehementer illam dehorretur, ne preces semel recitatas frequentius repetat; sic enim scrupulos nutriet potius, quàm repelleret; nec leve insipientis animi indicium præberet; quis enim non stultè agere mulierem illam diceret, quæ, ubi jam mediam filorum partem in girgillum (Haspel) contorserat, ob filum ruptum omnia reliqua fila denuò ex girgillo devolveret? atqui idem faceret & ipsa, si preces cum inculpabili distractione recitatas repeteret; maximè cum polliceri sibi non possit, an non insequentibus repetitionibus similes iterum distractiones sit passura.

§. III.

Tentatio III. ob ariditatem orationis.

XVI. Paphnutius Frater Laicus queritur suo Magistro spirituali, se jam à longo tempore adeò aridum & desolatum in meditationibus extitisse, ut cælum planè æneum sibi factum esse existimet; præ ceteris tamen id sibi dolere, quòd ariditatem istam proprijs suis culpis promeritum se fuisse timeat. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem sit instruendus?

C 5

Re-

Responsio.

XVII. Inprimis ostendat eidem, quòd Sanctissimæ etiam Personæ ejusmodi ariditatibus fuerint subiectæ, uti S. Laurentius Justin. c. 14. de casto Connubio testatur dicens, *neminem tam sanctum, tam in amore præcipuum, tamque dilectione ignitum ac dilectum esse, qui amoris vicissitudini non subjaceat.* S. Teresa certè per octodecim annos eas passa est, uti Ribera de illa in vita l. 4. c. 13. testatur, S. Franciscus Seraphicus per biennium gravissimo mœrore tabescebat in oratione, ita ut sibi planè derelictus à DEO videretur, uti in Chron. l. 1. c. 59. legere est. B. Clara de Monte Falco per annos undecim continuos. P. Balthazar Alvarez per sedecim talibus ariditatibus fuit probatus, uti & S. Maria Magdalena de Pazzis per unum & viginti annos, uti Lancicius opusc. 7. n. 24. testatur. Sed & S. Bernardus l. 54. in Cant. de seipso sic scribit: *Ab heri & nudius tertius invasit me iste languor animi, & mentis hebetudo, insolita quadam inertia Spiritus &c. Exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua. Nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio.* Unde meritò l. 74. in Cant. dixit, constare, in anima fieri hujusmodi vicissitudines euntis & redeuntis Verbi, sicut ait: *Vado & venio ad vos: Item modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.*

XVIII. Secundò eidem ostendat, ob quos fines DEUS tales ariditates immittere soleat, nimirum 1. In pœnam alicujus peccati, uti S. Laurentius Justin. l. 14.

l. 14. de cast. connub. c. 24. indicavit dicens : Quo-
 niam nullus est , qui non saltem in multis venialibus
 offendat , equidem nemo invenitur , cui saepe divinus
 non subtrahatur gustus. 2. Ad meriti augmentum ;
 nam ut S. Climachus grad. 13. pronuntiavit, nihil aequè
 ut acedia (sub qua hîc languorem & desolationem ani-
 mi intelligit) Monacho tot coronas parat. Unde & B.
 Virgo S. Birgittæ l. 3. rev. c. 32. dixit : Turbari non de-
 bes, si quandoque cor tuum induratur , quia hoc est
 ad maiorem coronam. 3. Ut manifestetur , quâ in-
 tentione cordis vel orationum instantia deferentem
 nos visitationem Spiritûs Sancti requiramus ; nam ut
 S. Bernardus l. 75. in Cant. ait, quandoque non rever-
 titur Sponsus ad votum & vocem vocantis , ut deside-
 rium crescat , ut probetur affectus , ut exerceatur amo-
 ris negotium. Sanè ergo dissimulatio est ; non indigna-
 tio. Sed superest , ut queratur , si fortè quasitus repe-
 riatur , qui vocatus non venit , dicente Domino : omnis,
 qui querit , invenit. Unde hîc præcipuè verificatur,
 quod Moyses Israëlitis Deut. 13. c. dixit : Tentat vos
 DEVS vester , ut palàm fiat , utrum diligatis eum , an
 non : in toto corde , & tota anima vestra. 4. Ut
 cognoscentes , quanto labore amissum illud spirituale
 gaudium , & puritatis lætitia conquiratur , sollicitius
 inventam custodire , ac tenere intentius studeamus.
 Quodammodo enim negligentius custodiri solet, quid-
 quid creditur , facile posse reparari , ut rectè Abbas
 Daniel apud Cassianum collat. 4. c. 4. advertit. 5.
 ut , quemadmodum S. Ignatius reg. 9. de consol. ait ,
 certi sumus nostrarum virium non esse , vel acquirere ,
 vel retinere fervorem devotionis , vehementiam amo-
 ris , abundantiam lacrymarum , & aliam quamlibet in-
 ternam

ternam consolationem, sed omnia hæc gratuita esse dona, quæ si vendicemus nobis ut propria, superbia & vanæ gloriæ crimen, non sine gravi salutis periculo incursumus. 6. Ad humiliationem, uti more suo sapienter S. Bernardus s. de Scala claustrali col. 3. indicat dicens: *Ne timeas, o Sponsa, ne desperes, ne existimes te contemni, si paulisper tibi Sponsus subtrahit faciem suam, omnia ista cooperantur tibi in bonum, & de accessu & recessu lucrum acquiris: tibi venit, tibi recedit. Venit ad consolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo consolationis extollat te, ne, si semper apud te sit Sponsus, incipias contemnere sodales, & hanc continuam victoriam non jam gratiæ attribuas, sed nature.* 7. Ad cavendum contemptum consolationis, & fastidium: uti idem S. Bernardus l. c. innuit dicens: *Vulgare proverbium est, quod nimia familiaritas parit contemptum; recedit ergo (DEUS) ne forte nimis assiduus contemnatur, & absens magis desideretur, desideratus avidius quærat, diu quæsitus tandem gratius inveniatur.* Quod ipsum confirmans S. Laurentius Justin. c. 6. de conflict. inter. sic ait: *Temperanter spiritualis est sumenda dulcedo, ne ex immoderato gustu fastidium generet.* Hoc sapiens prov. 25. insinuat dicens: *Mel invenisti? comede, quod sufficit, ne cogaris evomere: Non igitur ad satiæritatem spiritualis est sectanda devotio, ne ex familiaritate nimia contemptum, aut ex assiduitate imprudenti radium generet.*

XIX. Tertiò ostendat illi, quantas virtutes in tali ariditate exercere, quàmque adeò copiosum meritorum augmentum promereri possit; nimirum 1. Humilitatem, dum suam infirmitatem agnoscit, & confiteatur;

fitetur; majus autem DEI beneficium est, teste S. Teresa, diem in humili nostri ipsorum cognitione transigere, quàm multos in oratione. 2. Patientiam; non enim est dolor acerbior illo, quem patitur anima, ob sensibilis amoris absentiam, ut S. Catharina Bonon. sensit. Hinc & R. Balthasar Alvarez in suis notatis scripsit: Inquietudinem quamcunque in oratione obvenientem martirium reputabo, & ut talem fortiter sustinebo. 3. Amorem erga DEUM, cui placet summopere talis conformitas in oratione arida, uti S. Gertrudi Christus significavit, dum eidem, teste Blosio Mon. c. 3. § 3. dixit: *Vellem electis meis persuasum esse, quòd eorum exercitia & opera bona mihi omnino placeant, quando ipsi serviunt expensis suis. Illi autem expensis suis mihi servitium præstant, qui, licet saporem devotionis minimè sentiant, fideliter tamen, ut possunt, orationes & alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate mea, quòd ego libenter ea & gratè suscipiam. Plerique sunt, quibus si sapor & consolatio interna concederetur, non eis prodesset ad salutem, & meritum ipsorum valde minueretur.*

XX. Quartò ostendat, quomodo nihilominus fructum orationis obtinere possit; nam 1. Dominus noster, quia justus est inspector animorum, non impendit solum operis, sed etiam affectum est remuneraturus operantis, ut S. Leo l. 3. de jejun. loquitur. 2. Hoc ipsum, quòd DEO in oratione assistere sinatur, jam magnum esse fructum, uti præclare S. Climachus ostendit gr. 28. dicens: *Noli, cum in oratione perduras, dicere: nihil profeci; jam enim satis profecisti. Quid enim sublimius esse potest, quàm adha-*

adherere Domino, atque in hac cum illo jugiter perseverare. 3. Cum, teste S. Ignatio de disc. anim. mot. reg. 3. quodvis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum consolatio dici possit; hæ autem & aliæ virtutes etiam tempore ariditatis vel maximè exerceri queant, ut supra ostensum est, hoc ipso etiam copiosam, eamque multò solidiorem, quàm sit consolatio sensibilis, percipi posse. 4. Cum finis orationis præcipuus sit, Sanctitas acquirenda, & perfecta voluntatis suæ cum divina conformatio, hoc ipso, quòd ariditatem & desolationem suam patienter de manu DEI acceptet, jam finem orationis obtinuisse.

XXI. Quintò jubeat meminisse doctrinæ à pio Asceta l. 2. de imit. c. 9. datæ, dum ait: *Cum ablata fuerit consolatio, non statim desperes, sed cum humilitate & patientia expecta cœlestem visitationem, quoniam potens est DEVS ampliorem tibi redonare consolationem.* Solet enim sequentis consolationis præcedens consolatio esse signum. Quod ipsum confirmans S. Laurentius Just. c. 17. de triumph. Christ. minimè autem desperet, inquit, qui hujusmodi est, perseveret in bono, ut per bonum discat bene facere; non enim in bono occupatos derelinquit DEVS, illos ex insperato, & in nesciente caligine visitare consuevit. S. Macarius verò ad hoc Agricolarum exemplum imitandum proponit, dum ho. 16. sic loquitur: *Agricole periti (per multa consuetudine) cum ubertas est annonæ, non plane curâ vacant, sed postea famem & sterilitatem expectant: nec è diverso valde desperant, cum fame & sterilitate premuntur, eò quòd vicissitudinem probe norunt; sic est in re spirituali, cum in varias tentationes inciderit anima, non sit attonita, nec desperet, quia*

novit

novit ex permissione se relictum esse, ut probaretur, & erudiretur à malo: nec vicissim, quando divitijs multis, & quiete fruatur, solitudine caret, sed mutationem expectat.

XXII. Sextò eidem ostendat, etiamsi ex culpa sua ariditatem hanc patiatur, turbati non debere, sed potius humiliare se coram DEO, agnoscere culpam, & DEO gratias agere, quòd tam paternè secum agere, & in hac potius, quàm altera vita castigare dignetur; uti S. Catharina Senensis, teste Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 28. fecit, quæ tempore desolationis sic seipsam allocuta est: Tu vilissima peccatrix nullis consolationibus digna es? quid enim? nōne tibi fuerit satius, si non damneris, etiamsi toto vitæ tempore has cruces & tenebras patiaris. Certè non ideo elegisti servire DEO, ut hîc consolationes ab eo recipias, sed ut in cælo fruaris illo in æternum. Surge itaque, & consueta tua exercitia proseguere, Dominòque tuo fidelis permane. Eundem in finem proderit etiam ipsi narrari, quod Blosius c. 10. monil. de S. Birgitta refert, quòd, scilicet, cùm à pravis cogitationibus multum in oratione turbaretur, Christus eidem dixerit: Hæc est consummata, perfectaque justitia, ut quemadmodum tu olim in seculo oblectabas te vanitatibus mundi, contra voluntatem meam, ita jam vexeris cogitationibus vanis & mundanis contra voluntatem tuam. Unde Taulerus, ut idem Blosius de consol. pusill. querentibus suam desolationem respondere solebat: Imò bellè procedit negotium tuum, gratiaque est, quam tu pœnam arbitraris. Instant ipsi: sed hoc culpâ meâ accidit; ego verò contra: demus hoc ita esse, verum tu crucem, quam DEUS tibi imponit,

nit, libenter amplectere, ipsique te plenè resigna-
Atqui consumor spirituali ariditate, aiunt, tenebris
que spiritualibus involvor: Et hoc ipsum, inquit,
æquanimiter ferto, majorem enim tibi accerset gra-
tiam, quàm si multa sensibili devotione perfundereris.

XXIII. Septimò denique eidem ostendat, gravem
& noxiam esse deceptionem dæmonis, si ad oratio-
nem deferendam ob ariditatem impelli se sentiat, nam
si hoc obtineat, jam id, quod voluit, imperravit, cum
teste S. Nilo c. 47. de orat. *universum bellum, quod
inter nos & dæmones conflatur, non sit de aliare, quàm
de oratione; est enim illis oratio valde adversa & odio-
sa, nobis verò salutaris & valde benigna.* Sequatur
ergo potiùs consilium Palladio in simili tentatione
constituto à S. Macario datum, dum sic eum conso-
latus est: si tibi deinceps tuæ cogitationes dixerint:
Nihil hîc facis, Palladi, abi hinc: responde illis: Pro-
pter Christum cellæ hujus parietes custodio. Aut cer-
tè P. Balthasaris Alvarez è Societate JESU exemplum
imitetur, qui, licèt sedecim annis talem ariditatem
passus, nunquam tamen desiderium orationis depo-
suit, sed tanta cum diligentia & constantia in ea per-
severavit, atque si jucundum semper & facilem ad-
itum inveniret; collocabat enim fiduciam suam in in-
finita misericordia ac liberalitate DEI, in cujus con-
spectu constituere se, quemadmodum Cananaea
illa dicebat, tanquam catellum expectantem micos
cadentes de mensa Domini sui: & sicut amicus illi
Evangelicus etiam repulsus non destitit ad portam DEI
pulsare per multos annos, donec tandem exauditus
fuit, & ad familiaritatem admissus, cum ingenti coe-
lestium donorum copia. Addat etiam pro consolatio-

ione id, quod S. Basilius c. 2. constit. monast. monet; si per peccatum indefinenter debilitatus, non poteris orare, quantum poteris, teipsum coge & constanter confiste coram DEO, animum ad ipsum intentum, & ad seipsum collectum habens, & DEVS ignoscet ob id, quod non ex contemptu, sed per infirmitatem non vales, ut oportebat, cum ipso consistere. Dicat ergo cum pio Asceta l. 3. c. 16. *Hec mihi sit consolatio, libenter velle carere omni solatio humano, & si tua (O JESU) defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio pro summo solatio; non enim in perpetuum irascēris, neque in aeternum comminaberis.*

§. IV.

Tentatio IV. ob siccitatem Meditationis.

XXIV. Alphonsus Religiosus ad quotidianam meditationem obligatus fatetur suo Patri spirituali, adeo rude, & siccum ingenium se habere, ut circa nihil in meditatione discurrere cum fructu queat, atque adeo præscriptam Meditationis horam plerumque inutiliter consumat. Quæritur, quomodo juvandus & consolandus sit?

Responsio.

XXV. Inprimis ei facilem quendam modum ostendi posse, Meditationem cum fructu peragendi, dicendo videlicet, Meditationem esse quasi privatam concionem, quam quisque sibi ipsi instituat, cum verè eundem cum concione publica scopum præfixum habeat, scilicet illustrationem intellectus, & motionem voluntatis; unde sicut ille Concionator utilissimè concionatur, qui doctrinam valde practicam, id est,

D

est,

est, in quodidianos usus venientem probandam sibi
sumit, eamque ab initio bene declarat, seu in quo sit
sit, ostendit, deinde uno vel altero appposito argumen-
to & interdum etiam exemplo confirmat; subinde
media ad illam executioni mandandam offert, & tan-
dem brevi, sed fervente epilogo concludit; ita illam
quoque Meditationem utilissimam merito censemus
in qua hæc omnia cum proportionem servantur; unde
aliqui Meditationem in tria puncta dividunt, in quo-
rum primo consideratur, quid agendum vel fugien-
dum; in secundo, cur faciendum; in tertio, quibus
medijs executioni mandandum sit, & tandem affe-
ctuosum colloquium subjungitur. Alij pro simplicibus
hunc modum maximè idoneum judicant, quo
super quovis puncto quatuor sequentes quæstiones
formandum: *quod est punctum Meditationis?* ubi
breviter illud memoriâ recolitur, & actus fidei elici-
tus subjungitur: *quid de eo considerandum?* uti ver-
ba, actiones, circumstantiæ breviter perpenduntur
quis fructus ex hac consideratione hauriendus? ubi
propositum virtutis alicujus exercendæ, vel vitij fu-
giendi, vel actionis quotidianæ rectè instituendæ con-
cipitur: & tandem *quid cum DEO aut Sanctis super
hac materia colloquendum?* ubi varij actus pij, grati-
tationis, gaudij, gratitudinis, doloris, humilitatis, de-
siderij, oblationis, postulationis eliciendi. Quæ
quidem modum meditandi per tres animæ potentias
à S. Ignatio traditum utpote facillimum in cujusvis po-
testate, etiam tempore ariditatis, esse, pulchrè Alpho-
sus Rodriquez p. I. tr. 5. c. 18. ostendit, modò non
statim desistat à consideratione, sed cum patientia
perseveret; sicut enim cum quis subit tenebrositas
aliqua

aliquod hypocaustum, principio quasi nihil videt, sed si istuc aliquamdiu moretur, perspicit, quæ in eo sunt, omnia, ita idipsum perseveranti in oratione contingit; unde meritò concludit idem Author, durationem istam & moram, ac perseverantiam præcipuum esse fructum, quem ex meditatione percipimus.

XXVI. Secundò hortetur illum, ut in amore Dei, & odio peccatorum, & omnium, quæ ad peccandum alliciunt, proficere studeat; hos quippe esse geminos fontes, ex quibus copiosa cogitandi materia ultro profluat, quis enim nescit, quàm facile sit Marti cuiuspiam de liberis, aut Amasio de sua Amasia cogitare, & loqui, quàm difficulter & quasi violenter à talibus cogitationibus aut locutionibus abstrahantur; quando magis de DEO, in quo tanta perfectionum, aliarumque rerum amabilium materia, copiose reperitur, cogitare facillimum censendum erit. Idem de affectu odij sentiendum, de quo constat, quàm pertinaciter Persona, quæ tale odium animo volvit, revolvendis injuriarum acceptarum circumstantijs, excogitandis varijs vindictæ modis, & firmissimis executionis decretis insistat, ita ut longissima interdum aliquot horarum, imò etiam dierum spatia in talibus Meditationibus absque ulla difficultate, imò cum magna voluptate consumantur; quis ergo non idem speret, facile se effecturum, si inveteratum & serium erga peccata odium concepisset?

XXVII. Tertiò eidem suadeat, ut, si discursibus longioribus vacare non possit, per actus voluntatis seu affectus pios & seria proposita doctrinæ, quam præ manibus habebat, exequendæ hunc defectum supplere conetur, atque adeò si pro doctrina humilitatis

litatis Christi imitationem v. g. proposuerit, gratulatur inprimis Christo suam tam perfectam humilitatem, gratias agat de tam pulchro exemplo relicto, offerat in signum gratitudinis omnes actus humilitatis ab ipso vel Sanctis elicitos, doleat de negligentia in studio hujus virtutis admissa, veniamque supplicet, & propositum concipiat hanc virtutem majore studio & fervore exercendi, atque ad hoc pro se alijs copiosam à DEO gratiam sedulo imploret. Non dubitet, se non minorem ex tali exercitio fructum reportaturum, quàm alij, qui multis ambagibus & discursibus se ad tantæ virtutis exercitium assumendum excitârunt; perinde ac canis ille venaticus, qui lepore paucis passibus assecutus est, æqualem Domino fructum procuravit, quàm is, qui longo discursu fatigatus eundem cepisset.

XXVIII. Quartò suadeat, ut praxin illius sequatur, de quo Rodriquez p. 1. tr. 5. c. 21. fert dicere solitum: Quadraginta jam anni lapsi sunt ex quo omni possibili modo & studio conatus sum rationi assidue vacare, ex eaque proficere; atqui hoc tempore meliorem, nervosiorémque orandi modum non deprehendi, quàm illum, quo me ante DEUM Infantis instar constitui, nudi, cæci, mendici, famelici, ab omnibus hominibus derelicti, quæ orandi rationem etiam S. Davidi placuisse, ex psalms constat. Cum hoc ferè coincidit modus ille, quæ suadent aliqui, ut quis mendici personam assumens per varios Sanctorum choros vegetetur, & ab Angelis quidem gratiam & fervorem in laudando DEO, à Apostolis constantiam in fide, quæ verbis, quæ operibus demonstrandam, à Patriarchis & Prophetis fidei

ciam firmam erga DEUM, à Martyribus fortitudinem inter adversa, à Confessoribus profundam humilitatem & obedientiam, à Virginibus denique viduisque insignem corporis, animique puritatem emendicet. Vide, ait Gerson, quantâ patientiâ & submissione, Pauperes præ foribus Divitum panis frustulum aut obolum præstolentur: quanto affectu, corporis, oculorumque flexu, quàm miserabili voce stipem emendicent, quàm importuni instent, donec exaudiantur. Sic componat & ipse se ante ostium Magni illius Patrisfamilias, & sint oculi ejus ad Dominum DEUM directi, donec misereatur illius.

XXIX. Quintò interdum usurpandum etiam illud modum suadere poterit, quem vir quidam, qui S. Ignatio & Socijs Barcinonam tendentibus occurrens, Sarcinas eorundem bajulandas sibi depoposcebat, usurpasse scribitur, dum scilicet ipsis Hospitium subeuntibus, & in diversos angulos orationis gratiâ flectentibus, etiam ipse exemplum eorum meliori, quo potuit, modo æmulatus, fixis humi poplitibus sic orabat: Domine DEUS, viri hi Sancti sunt, & ego jumentum eorum, quod illi orant, & petunt, & ego humiliter oro, petoque. Concluditque Monachus, qui hæc scripsit, virum hunc postea tam spirituales effectum esse, ut altissimæ & extraordinariæ orationis donum sit assecutus. Simile quid legitur apud eundem Rodriquez, qui præcedens factum etiam narravit l. c. n. §. de alio quopiam Viro, qui plurimis annis non aliam orationem faciebat, quàm istam: *ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* ps. 72. ex qua oratione duo vir religiosus consecutus est, animi videlicet demissionem maximam,

ximam, & magnam cum Christo Domino familiaritatem.

XXX. Sextò si similes Modi nihil juvent, aut certè varietatis gratiâ interdum alium adhibere placebit poterit consilium P. Nicolai Lancicij arripi, & variis affectus per totam quasi horam elici, ita ut primo gratiæ agantur pro beneficijs generalibus & specialibus, quæ tum sibi, tum alijs contulit DEUS: postea dolor de peccatis particularibus simili modo eliciatur: tertio humilitatis actus ex varijs titulis & comparationibus exerceantur: quarto variæ suæ necessitates corporales, & spirituales commendentur, variæque dona & gratiæ postulentur: denique pro diversis statibus & Personis etiam divina misericordia & liberalitas imploretur.

XXXI. Septimò poterit eidem suaderi, ut cum Christo ad montem Oliveti, aliâque Passionis loca conferat; ibique per agoniam, captivitatem, flagellationem &c. roget, ut integram peccatorum remissionem, invictam in adversis patientiam, perfectam voluntatis suæ conformitatem & similes virtutes largiri dignetur; qui modus rudibus vel maximè est accommodatus; nec minùs ipsi etiam Christo ob memoriam passionis acceptus.

XXXII. Octavò denique interdum per orationem vocalem ut se soletur, tempùsque illud utilitè impendat, suadere poterit; uti & S. Teresa sororibus suis in itiner. c. 18. suavitè dicens: *Mentali oratione vos applicate, Carissima; si qua verò hoc facere non queat, in vocali se exerceat, & lectionem spiritualem, & pia cum DEO colloquia frequentet: orationis per horas elabi non sinat; nescit enim, quâ horâ sponsus*

vacaturus sit (ne, quod fatuis Virginibus aliàs contingit, illi etiam eveniat) & an majus sibi onus imponere velit, etsi aliquà dulcedine temperatum. Quod consilium tantò facilius amplecti poterit, si orationes istas vocales per tertium orandi modum à S. Ignatio præscriptum usurpare, singulæque verba aliquamdiu ruminari voluerit; hæ enim uti propiùs ad meditationem accedunt, ita non incongruè quandoque eidem substitui possunt.

§. V.

Tentatio V. ob somnum.

XXXIII. **O** Nuphrius Frater Laicus toto die laboribus domesticis gravatus, sentit se tempore orationis vehementer ad somnum incitari, sicque multas horas inutiliter consumere; quam suam tentationem proin Confessario aperit, remediùmque sibi pro illa vincenda suppeditari petit. Quæritur, quale sit offerendum?

Responsio.

XXXIV. Primò eidem ostendat, etsi probabiliter apud ipsum talis somnus ex lassitudine corporis proveniat, tamen frequenter etiam ex diaboli cooperatione oriri, orationem omni modo impedire volentis; hinc non semel visi sunt dæmones tempore orationis collis, capitibus, aut humeris orantium insidentes, aut digitum ori inferentes, ut ad somnum his modis excitarent. Quare hoc maximè tempore illud D. Petri 1. c. 5. ante oculos haberi debet: *Fratres, Sobrii estote* (quia cibi & potùs abundantia multam etiam somno materiam subministrat) & *vigilate*,
D 4
quia

quia Adversarius vester tanquam Leo rugiens circumquarens, quem devoret.

XXXV. Secundò ostendat, quantopere] DEO displiceat hæc somnolentia sub oratione, uti non semel ille per varias apparitiones ostendit, dum uni quidam apparens tergum obvertit, dixitque: Piger, cur tam segniter mihi servis? non mereris videre faciem meam: alteri verò sub choro dormitanti de cruce descendens tam gravem colaphum inflixit, ut tertio post die mortuus sit, ut Rodriguez p. 1. tr. 5. c. 25. Caesario refert. Certè S. Romualdi tempore tam gravis noxa censebatur, si quis sub oratione dormiret, ut à sa cris eo die fuerit suspensus.

XXXVI. Tertiò ostendat eidem, quòd, quantò difficilior est hæc victoria ob naturæ imbecillitatem tantò amplior ei corona propter illam sit conferenda, uti iterum DEUS memorandâ visione iudicavit, dum cuidam seni ostendit splendidissimam sedem, & septem lucidissimas coronas Discipulo suo præparatas ostendit, quòd septies de nocte somnolentiam vicerit, uti in Spec. Exempl. dist. 2. ex. 117. fusiùs refertur.

XXXVII. Quartò varia ei media offerat ad somnum excutiendum, qualia sunt, in pedes erectum stare, in cælum suspicere, recenti aquâ faciem abluere (quem in finem aliqui pannum madefactum per se habent, disciplinam præmittere, libero, manibique acclinato corpore, aut expansis brachijs, si alibi bitri absint, orare, & plura alia, quæ unctio Spiritus suggeret.

§. VI.

Tentatio VI. ex negata exauditione.

XXXVIII. **B**irgitta Vidua gravibus morbis, aliisque
miserijs oppressa, longo tempore libe-
rationem à DEO ferventissimè petijt, nec tamen ul-
lam relevationem impetravit; quam ob causam gra-
vissimè tentata, & propè ad desperationem redacta
est, maximè cùm gravissimos quosque Peccatores à
DEO exaudiri quotidie advertat. Quæritur, quomo-
do contra tentationem ejusmodi roborare eam opor-
teat?

Responsio.

XXXIX. Inprimis illam hortetur, ut seipsam
examinet, an non causam & obicem posuerit tali ex-
auditioni, peccatum scilicet grave necdum expiatum,
ita ut verè de ipsa dici possit illud Thren. 3. *Opposui-
sti nubem tibi, ne transeat oratio.* Hanc enim nubem
esse peccatum, jam pridem cæcus ille Evangelicus
Jo. 9. testatus est dicens: *scimus, quia peccatores
DEVS non audit, sed si quis DEI cultor est, hunc ex-
audit.* id quod S. Gregorius in Pastor. confirmans
ait: *cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur,
irati animus ad deteriora provocatur.* Nec mirum;
quis enim exaudiat Inimicum Amici sanguine fœda-
tas manus porrigentem; quantò minùs ergo DEUS
preces audiet, si Peccator Christi Filij sui sanguine con-
spersas manus attollat. Hinc Isaïæ c. 59. dicitur: *Ec-
ce non est abbreviata manus Domini, ut salvare ne-
queat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat;
sed iniquitates vestra dividerunt inter vos & DEVM*

D 5

ve-

vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret; manus enim vestra polluta sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.

XL. Secundò illam pariter jubeat considerare, an non fortassis tepidè admodum, & irreverente cum varijs distractionibus petièrit à DEO optatas gratias; verè enim magnam injuriam facio DEO, inquit S. Bernardus l. de anim. c. 8. cùm illum precor ut meam precem audiat, quam ego ipse non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat, ego verò nec mihi nec illi intendo. Unde meritò hortatur l. 4. epist. 4. Omnes homines sunt ita affecti, ut illis studeant & optulari, & attendere, quos viderint nequaquam dormientes, neque ignavia deditos, sed qui ipsi se preparant, & instruunt, & prompti sunt ad officij partes peragendas. Quà igitur fronte tu postulare audes, ut dum ipse dormis, nullàque salutis tue curà tangeris, ne superabile auxilium caeleste ad te advolet, cùmque frustratus fueris, agrè fers? Præcedant itaque ea, quæ à te exiguntur, & tunc demum ea, quæ sunt auxilij divini, subsequantur.

XLI. Tertiò jubeat considerare, an non malo finis quidpiam petièrit; sic enim mirari non deberet, si non exaudiat, sed potius audire S. Jacobum c. 4. monentem: Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentijs vestris insumatis. Unde meritò Hugo Carthusianus gravem hanc impudentiam vocat, atque adeò indignam, ut exaudiat. Cùm rogas DEVM, inquit, ut non auferat tibi aliquid, cum inhesisti cupidè, ita est ac si mulier à viro suo in ipso adulterio deprehensa, cùm debeat petere veniam criminis, roget potius, ne interrumpat ei ipsius adulterij voluptatem.

um. Non satis tibi est fornicari à DEO, nisi ipsum
ad hoc inclines, ut ea, quibus corrumpere fruendo, au-
geat, conservet, & coarctet, id est, formam corporum,
sapores, & colores. Quae est adeò impudens mulier, quae
dicat viro suo. Quere mihi illum aut illum, cum quo
dormiam, quia mihi placuit plùs, quàm tu, alioqui non
quiescam? tu tamen facis hoc viro tuo, id est, Domi-
no, cum prater ipsum aliquid diligens, id ipsum ab eo
petis? Cum dicis DEO: da mihi hoc aut illud, hoc est
dicere: da mihi, in quo te offendam, & à te forni-
cer; cum enim aliquid aliud ab eo, quàm ipsum petis,
ipsa petitione tuâ reatum ei tuum & fornicationem ab
eo ostendis, & nescis. Misericors vindicta, si Sponsus
Sponsam suam adulteram deprehendens, ea tantùm sub-
trahit illi, cum quibus fornicabatur: quàm verò inve-
recunda & inverecunda est ipsa, si ad injuriam hoc
accipiat? Alij id ipsum Medici exemplo ostendunt,
qui, ut Isidorus loquitur, sæpe non exaudit ad vo-
tum, ut exaudiat ad sanitatem. Unde præclare S.
Augustinus in ps. 144. sic loquitur: Si verè DEVM
invocasti, certus esto, quia id fortè, quod volebas tem-
poraliter, ideo non dedit, quia tibi non proderat. Ædi-
ficetur in hoc cor vestrum, Fratres, cor Christianum,
cor fidele, ne incipiatis tristes facti, veluti fraudati desi-
derijs vestris ire in indignationem contra DEVM: non
expedit adversus stimulum calcitrare. Recurrite ad
scripturas. Exauditur diabolus, & non exauditur A-
postolus. Exaudivit eum, quem disponebat damnare,
& non exaudivit eum, quem volebat salvare; nam æ-
ger petit multa à Medico, non dat Medicus: non exau-
dit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Ergo
Medicum tuum pone DEVM, pete ab illo salutem, &
salus

salus tua erit. Vis, ut det se tibi? quòd si quid vult habere, non vult ipse, ut habeas, ut se tibi det. Impedimenta remove, ut intret ad te. DEVS etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat. Tu cum patientia salutem expecta: quibus te medicamentis curet, ille novit. Tu tibi agritudinem comparasti peccando, ille venit non solum fovere, sed & secare, & urere.

XLII. Quartò ostendat illi, quàm pronus sit Deus ad dandum, quod petitur, ita ut, quemadmodum S. Chrysostomus loquitur, non minùs cupiat implere vota hominum, quàm Mulier gravida effundere foetum suum; unde tam sollicitè semper hortatus est ad petendum: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Jo. 16. Et iterum: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut ad eò intrepide & indubitanter ausus sit dicere Siracides c. 2. Qui invocavit eum, & despexit illum? quod ipsum confirmans S. Bernardus l. 4. in quadr. quæ fidelis, inquit, & humilis, & fervens oratio fuerit, coelum sine dubio penetrabit, unde certum est, quòd vacua redire non poterit. Nam, ut idem l. 6. de anim. c. 6. ait, unum è duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis, quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius. Noli ergo vilipendere orationem tuam, quoniam ille, ad quem oras, non vilipendit illam, sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse scribi eam jubet in libro suo.

XLIII. Quintò suggerat illi verissimam & saluberrimam S. Augustini super ps. 65. sententiam: Ne deficias in oratione, DEVS, quod concessurus est, etsi defert, non aufert. Non levitate utitur, qui promissit, non facile de sententia movetur, quod promissit, est fixum:

fallere

fallere non potest; habet, unde faciat. Vult tamen, ut S. Gregorius ho. 1. in Evangel. testatur, rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci: ideo tibi dicitur: Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto igitur sedulus in oratione, esto in precibus importunus: cave, ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum Calorum accipias. Esto violentus, ut vim inferas ipsis etiam cœlis. Bona violentia, quâ DEVS non offenditur sed placatur: proximus non leditur, sed iuvatur: peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, quâ non lucrum queritur citò periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum: Quod egregiè confirmans Gillibertus l. 6. in Cant. sic loquitur: Pertinax oratio pertingit ad finem. Etsi tibi in initijs sicca, & velut Saxea videatur, oleum tamen gratiarum de hoc durissimo Saxo, modo perseveres, modò te longior mora non dissolvat, modò tua vota dilatione non lentescant. Cave, ne illud tibi de Evangelio impropereetur: sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum? Quòd si torpor abest, vide, ne dilationis tœdium te fatiget, & desiderium tuum infringat. Utrobique reatus est, si sit anima vel in postulatione remissa vel deficiens in expectatione.

XLIV. Sextò denique eidem ostendat, mirari, aut ægrè ferre eam non debere, quòd DEUS malos præ ipsa exaudiat; hoc enim in pœnam & damnationem eorum facit, uti S. Augustinus tr. 6. in Ep. Jo. 1. c. 3. docet, dum ait: Multi dati sunt in manus suas malo suo, de quibus dicit Apostolus: Tradidit eos DEVS in desideria cordis eorum. Quod ipsum in Pl. 144. præclare confirmat varijs exemplis, dum ait: Non iniustum aliquid petebat Apostolus, quando rogabat, ne aufer-

aufferretur ab eo stimulus carnis, Angelus Satana, & tamen rogavit, & non accepit, quia tempus adhuc erat exercenda infirmitatis. Petiit Job tentandum Diabolus, & accepit. Attendite, Fratres mei, magnum Myſterium diſcendum, repetendum, tenendum animi, nunquam obliſcendum propter abundantiam in hoc ſe-
culo. Quid dicam? revera comparandus Apoſtolus Diabolo? Apoſtolus rogat, & non accipit. Diabolus petit, & accipit. Sed non accepit Apoſtolus propter perfectionem ſuam, accepit Diabolus ob damnationem ſuam. Denique ipſe Job accepit ſanctatem in opportunitate; dilatus eſt enim, ut probaretur, & diu ſedit in pulvere, & rogabat DEVM, ut auferrentur ab eo iſta, & DEVS non auferbat. Citiuſ Diabolum exaudiuit, ad eum tentandum? quàm ipſum Jobum ad Sanandum, ideo conſeſſus eſt iſte tentandus, ut eo probato eſſet cruciandus. Diſcite ergo non murmurare adverſus DEVM &c.

§. VII.

Tentatio VII. circa illuſiones in oratione.

XLV. **A**lipius Novitius audiens, Dæmonem tuum, atque adedò varijs illuſionibus fructum illius impediri conari, vehementer timet, ne & ſibi ſimilibus tentationibus imponat ille Veterator; quare tentationem hanc ſuam, ſollicitudinemque Confeſſario ſuo aperit, & contra ejuſmodi illuſiones inſtrui, & armari petit. Quæritur, quomodo id præſtare debeat Confeſſarius.

Reſponſio.

XLVI. Inprimis illi ſignificet, varias quidem eſſe illuſiones.

illusiones, quibus Dæmon Orantibus imponere so-
let, sed easdem ad quatuor præcipuè genera revocari
posse, scilicet ad materiam, formam, finem, effe-
ctum orationis, uti ex dicendis apparebit. 1. Itaque
ostendat, circa Materiam orationis eatenus ipsum il-
ludere, quatenus persuadet orantibus, ut non nisi
materias sublimes pro Meditatione eligant, variâsque
in ea revelationes & apparitiones desiderent; cui il-
lusioni occurrendum est ostendendo, quòd hoc ipso,
quòd Novitius iste adhuc parvulus sit in perfectione,
lacte potiùs, quàm solido cibo refici opus habeat, ne
si istum temerè sibi eligere præsumserit, ab eo suf-
focationis magis, quàm fructuosæ refectionis pericu-
lum incurrat. Addat etiam, quòd revelationes, hoc
ipso, quòd sint extraordinarius DEI favor, qui nec
magis Sanctum facit, si adsit: nec minùs Sanctum, si
absit, meritò non sint petendæ à DEO, sed potiùs si
dentur, cum magna reverentia & humilitate acce-
ptandæ, &, quantum fieri potest, occultandæ exem-
plo Christi sapius prohibentis, ne miracula à se patrata
manifestarentur. Hinc S. Bernardus rectè monet,
illam Isaïæ c. 14. sententiam: *Secretum meum mihi:*
in parietibus cubiculi, aut certè in ipso corde esse
scribendam.

XLVII. Secundò ostendat, circa formam Oratio-
nis Dæmonem illudere, quatenus impellit ad cæremoni-
as sacras & situm corporis decentem in oratione
contemnendas, quasi incipientibus magis, quàm per-
fectis convenientes; cui illusioni occurrat Confessa-
rius, ostendendo cæremoniarum istarum utilitatem,
utpote quæ perinde conducunt ad virtutes conservan-
das & acquirendas, sicut accidentia ad substantiæ pro-
ductionem.

ductionem & conversationem ; & præterea faciunt
ut homo non secundum animam duntaxat, sed con-
pus etiam servitio Creatoris impendatur, sicque per-
fectum fiat holocaustum ; quæ ratio sanè persuadet
ab ipsis etiam perfectis tantò accuratiùs esse observa-
das, quantò magis ab ijs, quàm ab imperfectis ejus-
modi holocaustum expectatur.

XLVIII. Tertiò ostendat circa finem orationis illo-
dere dæmonē quatenus impellit ad orationis exercitium
tanti æstimandum, ut præ illo aliarum virtutum, obe-
dientiæ præsertim, & mortificationis studiū negligatur
qui error, teste Granatensi l. 2. c. 57. est unus ex primarijs
qui in hac vita solent occurrere, imò & ex univer-
sioribus. quia in omnibus, & per omnia destruit vi-
tam Spiritualem, quæ est divinæ legis adimpletio, ad quæ
oratio velut medium ordinatur, quem tamen Ordinem
hic error invertit, dum ex mediò finem, & ex fine medi-
um facit. Quare ut huic illusioni solidè occurratur, ante
omnia Christi verba Luc. 9. præ oculis habenda sunt : *Qui
vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat cru-
cem suam, & sequatur me.* Quare ita expectat, &
recipiat donum orationis, ut tamen semper memine-
rit, sibi non tantum in colle thuris, sed etiam Myr-
rhæ commorandum esse. Sequatur item morem vi-
torum, qui ita intrant hospitium, & jentaculum su-
munt, ut tamen simul etiam solliciti sint de eo, quod
restat, itinere peragendo ; similiter ergo & ipse in-
fruaturs divinâ dulcedine inter orandum haustâ, ut in
mente resolvat, ac paratus sit, ad reliquum vitæ iter per
asperas vias tribulationum, amore illius, à quo tantum
suaviter recreatur, sustinendarum conficiendum.

XLVIII

XLVIII. Quartò illi ostendat, circa fructum & effectum Orationis illudere Dæmonem solere, dum vel ad Magistros Spirituales contemnendos Instigat, eò quòd per Orationem ipsi à nobiliori Magistro instruantur: vel certè ad alios, qui non tam bene orare nòrunt, præ se nihili faciendos incitat; cui utriusque tentationi occurrendum erit, ostendendo inprimis, quàm constanter DEUS hunc morem tenuerit, ut homines pro instructione ad homines miserit, ita ut ipsum S. Paulum ad Ananiam pro simili instructione ablegarit, atque ideo multos, qui ejusmodi instructionem & humilitatem neglexerunt, dono orationis privaverit, uti ex Hæresiarcharum, aliorumque Spiritualium virorum ruina patet. Deinde pariter ostendat, quàm insipienter faciat, alios ob minùs perfectam orationem contemnendo, cum, sicut à circuli peripheria variæ lineæ tendunt ad centrum; ita variæ quoque sint in hoc orbe viæ ad DEUM, qui centrum nostrum est, perveniendi; unde ergo scit, quòd alius non æquè bonam, aut etiam compendiosiore, v. g. viam mortificationis, elegerit; aut etiam ex ipsa sua oratione licèt arida & minùs perfecta plùs meriti & fructùs reportarit; ut adeò hîc maximè locum habeat illud Apostoli Rom. 14. *Is, qui manducat (& bene orat) non manducantem (aut minùs benè orantem) non spernat: Et qui non manducat (aut orat) manducantem (seu suaviter & bene orantem) non judicet.*

* *

E

CAPUT

CAPUT II.

DE TENTATIONIBUS CIRCA CONFESSIO-
NEM OCCURRENTIBUS.

XII. **E**Tiam circa hanc variæ non rarò tentationes occurrere solent; nam interdum alij qui circa explicationem, peccatorum, alij circa dolorem, aut propositum, alij ob præterita peccata, alij ob diuturniorem ante confessionale expectationem, alij ob Confessarij discessum tentantur; pro quibus proin omnibus tentationibus opportuna arma in hoc capite suggerentur.

§. I.

Tentatio 1. circa explicationem peccatorum.

L. **A**Pollonia Virgo advertens alias Mulieres tam diu in confessionali detineri, se autem tam cito expediri, assiduus urgetur scrupulis, quòd non bene confiteatur, peccata sua singula non explicando; quaproin suam tentationem semel, iterumque Confessorio suo aperit. Quæritur, quomodo hæc ei tentatio scrupulusque sit eripiendus?

Responsio.

LI. Primò illi bene explicet, quid sit bene confiteri, quòd videlicet ista vox *bene* duplicem sententiam in hac materia habere possit. 1. Ut idem significet ac *sufficienter*, ita ut præcepto Confessionis integre satisfiat, sua peccata confiteri, & ut sic plùs nominetur, quàm ut quis omnia peccata mortalia quæ

nam memoria post diligentem conscientiae discussio-
nem occurrit, cum debitis circumstantiis & numero
Confessario aperiatur. 2. Ut idem sit ac *perfectè*, seu
eo modo, quo homines perfectionis Studiosi solent,
confiteri; & ut sic plùs non requiritur, quàm ut omnia
peccata, etiam venialia, quæ memoriæ occurrunt, ex-
plicet; ad quem tamen modum tam parùm, atque
ad ipsam perfectionem obligantur.

LII. Secundò ostendat eidem, non nisi mora-
lem in examine Confessione præmittendo diligentiam
requiri, atque aded, si post talem diligentiam adhi-
bitam nihil ei ampliùs occurrat, securam in conscien-
tia esse posse, certòque sperare, quòd omnia peccata,
quæ memoriæ non occurrerunt, simul cum alijs re-
mittantur, modò universalem de illis etiam dolorem
elicuerit. Ex hoc fundamento Vasquez, Layman,
Sanchez, Azor & alij docent, scrupulosos ea dun-
taxat confiteri debere, quæ manifestè cognoscunt esse
peccata; imò de quibus jurare possint, à se esse com-
missa, uti Tannerus docet.

LIII. Tertiò ostendat illi, Conscientiam severo &
prudenti Pædagogo similem esse, qui licet interdum
minora peccata dissimulet, nullum tamen eorum, quæ
graviora sunt, & majus damnum creare possunt, in-
correctum dimittit. Unde meritò sibi persuadere po-
test, si gravius quodpiam delictum admisisset, fore,
ut perpetuis angeretur stimulis, donec tale peccatum
per Confessionem expiasset.

LIV. Quartò ut tantò clariùs cognoscat, quàm ina-
nis sit iste illius timor & scrupulus, ipse eam inter-
dum examinet circa talia peccata, quæ ab ejusmodi
Personis committi solent, ut, dum ad plerasque quæ-
stiones

stiones negativè responderit, manibus quasi palpare suum errorem incipiat, faterique cogatur, se cum divina gratia pleraque peccata devitasse, atque adeo gratulari sibi potius, & gaudere debere de tali gratia & favore, quàm inutilibus scrupulis & tristitiâ se cruciare.

LV. Quintò enarret illi varias rationes, ob quas aliqui interdum Confessionem longius protrahunt, quarum tamen, quia vix ulla ipsam attingit, minor eam non debere, si alij longius tempus, quàm ipsi in confessione facienda insumant. Ejusmodi autem rationes esse possunt, quòd alij generalem confessionem faciant, alij Sacrilegas Confessiones à multis annis repetere cogantur: alij in magno luctu & tribulatione sint constituti, quos proinde, dum causam sui luctus explicent, patienter audire, & varijs rationibus solari oporteat: alij peccata sua cum multis ambagibus & historijs enumerent, quostamen Confessarius sæpe, ne perturbet, aut contristet, corrigere non potest: alij, quia ob confessionem dilatam multas sordes congregârunt, longiori etiam examinatione opus habent: alij ob varias obligationes faciendæ restitutionis, occasionis vitandæ, consuetudinis malæ deponendæ, acrioribus stimulis, & Instructionibus, qui tam brevi tempore adhiberi non possunt, incitandi sint: alij denique varijs scrupulis & dubijs interdum graviter vexentur, quos eripere uti perquam plerumque laboriosum est, ita longior rem etiam moram requirit. Ex quibus sanè rationibus satis apparet, non semper inutiliter & frustra confessiones protrahi, neque suo pede quempiam alio metiri debere, cum sæpe ratio aliqua ex prædictis altero locum habeat.

§. II.

Tentatio II. circa dolorem Confessionis.

LVI. **S**usanna Vidua valdè scrupulosa, etsi singulis ferè septimanis semel, iterumque confiteatur, semper tamen cum magna sollicitudine & afflictione id facit, eò quòd existimet, se sufficientem dolorem non elicere, utpote ad quem maximè si perfectus elici debeat, valdè multum requiri, tum in libris legerit, tum in concionibus audièrit. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem armanda sit?

Responsio.

LVII. Inprimis ei ostendat, ad confessionem non requiri perfectam contritionem, sed etiam imperfectam seu ex motivo pœnæ æternæ devitandæ, aut beatitudinis æternæ obtinendæ convenientem sufficere; hanc autem ab ea verè elici, vel ex hoc argumento ipsam colligere posse, quòd sincerè & bonâ intentione, ut supponitur, confiteatur; hoc ipso enim quòd verè confiteri peccata sua velit, vult destruere & delere illa; si autem destruere illa vult efficaciter, utique hoc ex odio erga illa facit (nemo enim rem, quam amat, destruere statuit) si autem odit, hoc utique idèò facit, quia magnum malum ipsi accersivit, videlicet inferni reatum, aut magno bono privare intendit, nempe æternâ beatitudine, ergo hoc ipso, quòd sincerè confiteri statuatur, jam dolorem, saltem imperfectum, elicit.

LVIII. Secundò hortetur, ut discrimen inter sensibilem & rationabilem dolorem bene observet; ille est, qui cum sensibili alteratione cordis elicitur, sed

E 3

perinde

perinde ut consolationes sensibiles, non est in hominis potestate, ideoque nec necessario requiritur ad confessionem; rationalis verò in sola displicentia, odioque efficaci peccati consistit, quod cum absque omni sensuali motione corporis concipi possit & verò etiam à prudentibus & perfectis soleat, meritò eam quoque tali contritione contentam esse posse, & debere.

LIX. Tertio quia tales Personæ plerumque putant se ex eo capite verum dolorem non elicere, quod non sensibiliter eum se formare percipiant, ut hunc errorem manifestè ostendat, & quasi palpandum obijciat, quærat illam, an vera esse putet ea omnia, quæ modò in Confessionali cum ipso locuta est? si affirmet, ulterius quærat, unde colligat, vera se dixisse? si asserat, ex eo se id colligere, quod nihil aliud in mente habeat, subiaferat ipsa, pari ergo modo, si proferat hæc aut similia verba: Mi DEUS, doleo amore tui de omnibus peccatis meis, eaque cum divina gratia emendare propono: neque aliud in corde & mente habeat, meritò credere posse, quod perfectum contritionem elicuerit.

LX. Quarto eidem ostendat, quàm misericors DEUS sit, quàmque adeò pronus ad veniam peccatorum concedendam, ita ut, teste Taulero, stupor aliqua sive linum in immenso igne positum non tam citò incendi possit, quàm ipse Peccatori veraciter dolenti peccata omnia donare paratus est. Enimvero inter DEI bonitatem & pœnitentem Peccatorem neque tempus, neque medium ullum interest. Deinceps autem inter DEUM & huiusmodi pœnitentem tam perfecta suboritur fidelitas, ac si peccata commissa

non essent, tamque bonus & super omnem æstimationem pius est Dominus, ut, quæ semel Peccatori condonavit, nunquam ei improperare, nec ullum propter ea dispendium aut pœnam eum sustinere velit, si tamen in vita correctiore persistit. Sed & Blossius de consil. pusill. citans illud Ps. 102. *Quomodo miseretur Pater Filiorum, miseretur Pater timentibus se:* ait; Sanè nunquam aliqua Mater tam tenerè dilexit unicum Filium suum, quàm tenerè ille nos diligit. Tam vehementi, dulci & incomprehensibili amoris ardore pijsimum cor Salvatoris nostri JESU Christi erga nos semper flagravit, & flagrat, ut, si vel tenuissimam amoris illius scintillam corda nostra perciperent, ipsa statim præ amoris vehementia scinderentur, ac resoluta deficerent.

LXI. Quintò denique proderit eidem etiam narrare, quid Henricus Suso apud Blossium l. c. dixerit sequentibus verbis: Sæpè nonnulli inordinatâ quâdam contritione obnubilati intra se dicunt: Heu, malum est, quòd vivo! ut quid etiam natus sum! O si mori mihi liceat! Et plura alia, quibus DEUM gravius offendunt, quàm ipsis peccatis. Proinde qui veram optat habere contritionem, in seipso humilitatem, peccati displicentiam, & firmam in DEO fiduciam habere curet. Unde & ipsa præamabilis æterna Sapientia ait Eccl. 38. *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Plane nimis fatuus fuerit, qui, dum uno se oculo sentit destitutum, etiam alterum sibi vult eruere.*

Tentatio III. circa propositum confitentis.

LXII. **L**iberius Studiosus advertens se perpetuò per Confessionem in antiqua, licet venialia duntaxat, peccata labi, graviter angitur, timetque ne propositum serium & efficax non habeat, utpote cuius vis in eo consistere debeat, ut stante illo nullo peccatum admittatur. Quem scrupulum summo non modicè auctum confessus est, quando in libello de imitatione Christi l. c. 22. hæc verba legit: *O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia. Hodie confiteris peccata tua, & cras iterum perpetrare confessa. Nunc proponis cavere, & post horam agere quasi nihil proposuisses.* Quæritur ergo, quomodo occurrendum sit huic tentationi?

Responsio.

LXIII. Inprimis illi ostendat, juxta Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. non posse hominem in tota vita omnia etiam venialia peccata vitare, nisi speciali privilegio, atque adeò firmum posse concipere propositum, etiamsi sciat, se iterum in aliquod veniale lapsurum, modò de nullo determinato peccato voluntatem habeat iterum illud committendi.

LXIV. Secundò explicet eidem, quid sit efficax propositum, scilicet talis voluntas non peccandi, ut si ipsa firmiter subsisteret, certò vitaretur peccatum; quare etiamsi postea iterum cadat, lapsus hic non arguit, propositum præcedens efficax non fuisse, sed solummodò illud jam iterum evanuisse; perinde ferè

ac Viator in terram corruens firmissimè proponit, se omnem diligentiam adhibiturum, ne denuo cadat, & tamen non obstante hoc proposito contingere potest, ut denuo cadat.

LXV. Tertiò illi ostendat, aliud esse timorem peccandi, & aliud propositum peccandi; nam ut qui per lubricam incedit glaciem meritò quidem timet, ne cadat; non tamen habet propositum cadendi, ita pari ratione potest quis concipere firmissimum propositum non peccandi, licèt ob lubricitatem occasionum, instabilitatem mentis, naturæque corruptionem meritò timeat, etiam firmissimè credat, se iterum in aliqua levia peccata lapsurum.

LXVI. Quartò illi ostendat, etsi per totam vitam non possit homo abstinere à peccato, posse tamen satis longo tempore vivere absque omni peccato, plurimis autoritatibus SS. Patrum, aliorumque Doctorum & Exemplis probat Lancicius opusc. 3. Ubi de S. Francisco Xaverio, & B. Aloysio refert, quòd, licèt sæpe confessi sint, tamen, per semestre integrum nullam attulerint materiam, quæ pro veniali peccato agnosci posset. Sed & ipse Lancicius l. c. n. 51. ait, sanctè testari se posse, se in varijs Monasterijs Romanis multarum Monialium hebdomodarias Confessiones audivisse per multos menses & annos, & tamen vix toto anno aliquod peccatum veniale in ijs invenisse, licèt certò sciverit, eas nihil celâsse. Nec obstat, quòd Prov. 24. dicatur: *Septies in die cadit iustus*: nam in primis illa verba: *in die*: non reperiuntur in correctis Biblijs: deinde illud verbum: *cadit*: non de casu in peccatum, sed varias ærumnas & calamitates, aliisque malis pœnæ intelligunt non solum

E 5

• Catho-

Catholici, sed etiam Hæretici Interpretes, ut apud eundem Lancelmum n. 55. videre est, ubi etiam n. 4. ostendit, SS. Patres, quando dicunt, hominem unâ horâ absque reatu peccati venialis vivere posse de vulgo & plebe iustorum, non autem de perfectioribus intelligendos esse, sicut & illud Gen. 6. *Omni caro corruerat viam suam super terram: &* illud 122. *Omnis homo mendax:* cum simili limitatione intelligenda sunt, cum utique Noë non corruerit viam suam, & plures de facto totâ vitâ suâ nunquam mendaci fuisse legantur.

LXVII. Quintò denique eidem narrare poterit quod Blosius c. 4. monil. de S. Gertrude scribit, quod scilicet, cum hæc Virgo aliquando ex inordinata quadam tristitia & impatientia tantas incurrisset tenebras, ut magna ex parte iucunditatem divinæ præsentia misisse videretur, ideòque paulò post visitata à Christo cum magna dejectione Spiritûs diceret: obsecro Domine, impone finem malis meis, nam ego illis nullum finem impono. Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Cujus desolationi compatiens Dominus, sciscitatus est ab eo, utrum delectationem aliquam in mundo potius eligere, quàm se, & aliquid sibi præponere vellet? ad quod illa: absit, absit, ut ego tibi vero & summe stabili & æterno bono aliquid præferam: cui respondit Christus: Cum nihil mihi præponas, & voluntatem tuam semper voluntati meæ subijcere cupias, constat te in charitate & gratia esse; cur ergo propter peccata tua (& proposita) tam desperanter loqueris, nam scriptura teste, charitas operit multitudinem peccatorum. Quæ omnia etiam Liberius sibi cum potest

portione applicare poterit ; nec enim credendum est, eum, qui tantam erga DEUM charitatem præfert, facile propositum iterum eundem deliberatè offendendi concepturum, cùm S. Cyprianus M. apud Laticinium l. c. n. 31. dicat : *Non pertinet ad te, Domine, nec de tuis est, qui te non diligit : nec diligit te, qui te scienter offendit.*

§. IV.

Tentatio IV. circa repetitionem præteritorum peccatorum faciendam.

LXVIII. **F**RANCISCA Virgo cùm ante aliquot annos turpiter à Juvene quopiam seducta, sat multa, eaque gravia contra castitatem peccata admisisset, ea quidem postea suasu Confessarij universa per confessionem generalem cum summo dolore expiavit, verùm assiduè urgetur scrupulis, ne ea sufficienter cum omnibus circumstantijs non expresserit, atque adeò graviter tentatur, ad antiqua peccata repetenda, Confessariumque suum frequenter sollicitat ad facultatem hanc concedendam. Quæritur, an Confessarius negando potiùs, quàm concedendo facultatem huic tentationi occurrere debeat ?

Responsio.

LXIX. Inprimis seriò illi prohibeat, ne ullam amplius mentionem in confessione de iisdem faciat, imò hortetur, ut omnino eorum, quantum fieri potest, obliviscatur, etsi non meminerit, se omnes circumstantias accuratè explicasse ; nam non meminisse, non est rationabilis causa dubitandi, ut doctissimi Theo-

Theologi sentiunt, cum nec aliorum nostrorum & aliorum omnium semper meminerimus.

LXX. Secundò ut minùs ob facultatem hanc negatam angatur, ostendat eidem, quàm securè possit omittere talium peccatorum confessionem, cum primis Authores probatissimi, in specie verò Laymanus, Navarrus, Medina, Saa, Henriquez, Coninck diceant, id facere eam posse, & debere. Deinde non erit dubium in conscientia scrupulosa sit apud aliquam moralem certitudo. Et tandem etiam si aliquam circumstantiam non fuisset confessa, non teneatur tanto suo damno omnimodam confessionis integritatem procurare, utpote à qua minores sæpe difficultates sæpe excusant, uti Coninck 2. 2. p. 2. d. 7. n. 6. cum alijs notat.

LXXI. Tertiò suadeat illi, ut consilium S. Bernardi sequatur, qui in sermone de SS. Petro & Paulo loquitur: *Ad Dominum conversos non nimium cruciet præteritorum peccatorum conscientia, sed tantum humiliet vos, sicut & ipsum Paulum.* Quod ipsi alij SS. Patres & Ascetæ confirmant, dum suadent ut omnium, quæ retrò sunt, cum S. Paulo obliviscamur, & ad anteriora nos convertentes, ex præteritis peccatis triplicem fructum, scilicet ruborem peccatis (seu humiliationem & vilipensionem nostram), dolorem & fervorem, quo præteritas negligentias sarcire, & tempus elapsum, malèque impensum quod redimere quisque studeat, retineamus.

LXXII. Quartò denique ostendat illi, quòd ex tali confessione non modò nullum fructum reportatur, sed potius grave damnum accersura sit, dum præterea inde ut Aviculæ, quæ in retia inciderunt, quòd

gis evadere volunt, eò magis se implicant, ita & ipsa, quò magis conscientiam suam per peccatorum repetitionem tranquillare cupit, eò magis illam inquietam & anxiam sit effectura. Unde rectè Taulerus apud Blosum in consol. pusill. sic loquitur: Eorum, qui confessiones recipiunt, potestati & authoritati fides adhibenda est, sicut & Verbis Dominicis, quibus ait: *Quorum remisistis peccata remittuntur eis, & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* In veritate dico, carissimi, ubi quis peccata sua ritè confessus adhuc remorsum ex iisdem in conscientia patitur, multò meliùs fecerit, si hac in parte DEO confitendo, & fidem virtuti confessionis adhibendo, eadem denuo non confiteatur, quàm si iteret confessionem; oportet enim divinæ pollicitationi & ipsi DEO confidere. Quod dum facit homo, habet illum veracem, credens haud dubiè servaturum, quod ei in absolutione promisit.

§. V.

Tentatio V. circa satisfactionem.

LXXIII. **M**Agdalena olim publica Meretrix, sed postea seriò conversa, memor tantorumque peccatorum à se commissorum, imò & alienorum, quorum se per allicientiam & cooperationem participem fecit, perpetuò timet, ne defectu competentis satisfactionis jacturam æternæ beatitudinis pati cogatur, ideòque hanc suam tentationem & anxietatem Confessario suo aperit. Quæritur, quæ arma ei suppeditare debeat Confessarius ad hanc tentationem vincendam?

Respon-

Responsio.

LXXIV. Inprimis illi magnitudinem divinæ misericordiae tum aptis ex S. Scriptura sententijs (quales esse v. g. possunt: *universa via Domini misericordia* & *veritas*. ps. 24. Et: *Parcis omnibus, quoniam tu es* sunt, Domine, qui amas animas. Sap. 11. Et: *Laetamini, Mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, diligite me benefacere.* Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi ni dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut luna alba erunt. Isaia 1. Et iterum: Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, & custodiêrit omnia praecepta mea, vitam vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quae operatus est, non recordabor. Ezech. c. 18.) tum et exemplis illustribus S. Mariae Magdalenae (quae triginta annis quotidie septies in caelum rapta angelicam audire Musicam meruit, & per hoc tempus ultra caelum vices à Christo visitata est) Latronis boni, S. Petri, S. Augustini, S. Pelagiae, S. Mariae Aegyptiacae & aliorum: tum consolatorijs Ascetarum dictis demonstrat, inter quae meritò notandum est, quod S. Henricus Suso apud Blosium in consol. pusill. dixit: *DEVS benignissimus tam inexhaustus fons est prorsus immensa misericordiae ac naturalis bonitatis, ut nullam unquam quamlibet fidelissima Mater proprio Filio suum quem sub corde suo gestaverit, tam desideranter ac libenter in medijs flammis jacenti manum porrigeret ad iutricem, sicut DEVS homini contrito, etiamsi possibile foret, eum omnia totius mundi peccata, vel millena*

vicibus quotidie perpetrâsse. Ita namque facile est ti-
 bi (ô DEUS) mille, sicut unum, talenta remittere, &
 infinitis peccatis mortalibus, sicut uni veniam dare.
 Iam isti (qui seriò conversi sunt) etiam secundum
 scripturas, multò tibi laudabiliores sunt, quàm si nun-
 quam in peccata collapsi essent, & in tepore viverent, nec
 tantà erga te dilectione ferverent. Nam juxta D. Bernar-
 di sententiam non tam attendis, quid homo fuerit,
 quàm quid pro cordis sui desiderio esse velit. Et ideo
 quisquis de te peccatorum remissionem etiam tot vici-
 bus, quot momenta sunt temporis, negare tentat, magnò
 te prorsus honore spoliare molitur. Non minùs con-
 solatoria sunt sequentia Joannis Tauleri verba ab eo-
 dem Bloisio citata: Quidam Amicus DEI interroga-
 tus, quid facere vellet, si (ut multi peccatores) omni-
 bus diebus vitæ suæ in magnis iniquitatibus vixisset,
 respondit: si omnia, quæ sapiens & discretus confes-
 sor mihi injunxisset, fecissem, peccata, sicut oportet,
 dimissem, nunquam deinceps vellem inde cogita-
 re, nec cor meum eis contaminare, sed tam purè dein-
 de conarer vivere, ut omnium meorum peccatorum
 in me DEUS penitus oblivisceretur. Quando enim
 amplius peccatum nec volumus, nec perpetramus,
 prorsusque ab eo avertimur, tunc & DEUS ipsum
 oblivioni tradit. Si quadraginta annis in peccatis vi-
 xissem, & jam tempus resolutionis meæ instaret, si
 peccata mea purè confessus essem, méque ipsum cum
 perfecto amore ita ex fundo cordis mei saltem unius
 angelicæ salutationis spatio in DEUM recipere & con-
 vertere possem, ut totus ad ipsum conversus, & ab
 omni peccato averfus essem, tunc planè sicut purus
 & innocens homo ex hac luce migrarem. Si verò
 non

non nisi unicum peccatum admissem, & in dolore
contritione ac merore hinc exirem; tunc utique
pœnitens morerer. Præcipue tamen notandum est
quod S. Catharina Senensis in quadam Epistola
verbis scripsit: Si omnia peccata simul in uno homi-
ne coacervata essent, non deberent eum impedire, quod
minus fructum sanguinis Filij DEI in se reciperet, quod
dò vera fides & spes misericordia DEI in eo remaneret,
cum peccatum solummodo in mala, perversaque volun-
tate situm sit, homo videns bonam sibi voluntatem con-
cessam esse, debet omni confusione Spiritus abjecta per-
severare in sanctis operibus & exercitijs, ambulare
in lumine gratia, quam invenit in se absconditam
munere DEI, qui voluntatem bonam in se conservat
debet diabolo confusionem vel desperationem suggerere
respondere: si gratia DEI in me non esset, etiam bo-
na voluntas non esset, & ego pravas suggestiones tra-
sequerer. Jam verò confido in Domino meo IESU
Christo, qui me semper intuebitur, ac saluum faciet
propter immensam misericordiam suam.

LXXV. Secundò pariter ostendat, quàm grata
DEO fiducia de bonitate illius ac misericordia con-
cepta, & è contrario, quantopere diffidentia & des-
peratio eidem displiceat. Ad priorem partem de-
monstrandam servire illi poterit id, quod olim Chri-
stus Gertrudi dixit, teste Blosio c. 11. monil. spirit.
Fiducia illa, inquiebat, quam homo in me solo collo-
cat, credendo, scire, posse, & velle me ipsum iuvare
fiducialiter in omnibus, cor mihi transfigit, ut non pos-
sim non ei gratificari, & manus porrigere ob gratiam
quem ex eo, quod totus à me pendet, sentio. Propri-
etiori parte serviet memorabilis illa sententia S. Augustini
gustia

in dolore
que sic
ndum est
pistola
uno homi
dire, qu
iperet me
emanet
ne volu
atem con
jecta per
bularum
nditum
onferunt
suggeren
etiam be
iones tu
E S
um facit

gostini, dum c. 22. manuel. ait: *Qui de venia pec-
catorum desperat, negat DEVM esse misericordem.
Magnam injuriam DEO facit, qui de ejus misericor-
dia desperat.*

LXXVII. Tertio jubeat considerare saluberrimam
Ludovici Blosij c. 8. Instit. spir. sententiam, dum ait:
Præstat omnino post peccatum admissum mox rever-
ti, quam diu in peccato discutiendo occupari, detine-
rique; neque enim contracta dissimilitudo melius,
quam in DEO deponetur. Et iterum in spec. c. 9.
Sancti Patres affirmant, eum, qui DEI erga se justi-
tiam perinde ut misericordiam ad æternam ejusdem
Domini sui gloriam exosculatur, ac diligit, tam faci-
le peccatorum suorum omnium, & poenarum illis
debitarum plenam veniam obtinere potest, quam fa-
cile una aquæ guttula in ardenti fornace consumitur.

LXXVIII. Quarto suadeat, ut Ascetæ illius ini-
tetur exemplum, cui cum dæmon suggerisset, ipsum
damnatum esse, bene est, respondit, cum ergo
DEVM velut summum Benefactorem meum in al-
tera vita laudare & amare ampliùs non possim, in
hac saltem pro viribus amabo & laudabo, ut hac ra-
tione pro infinitis beneficijs aliquatenus saltem gra-
tum me ostendam. Quo dicto mox omnis tentatio
dæmonis evanuit.

LXXIX. Quinto denique consoletur eam sequen-
tibus Blosij, in Can. vit. spir. c. 4. verbis: Nostra hu-
milis, quâ indignitatem propriam agnoscimus, &
quâ imperfecta, vilique esse judicamus ea, quæ re-
cè facimus: nostra item erga DEVM pia fiducia,
Prop quâ in Eo speramus, merita vitæ ac passionis ejus ex-
ia S. Au tollentes præcellit omnes satisfactionis nostræ labores,

F

Ne-

Necesse tamen est, ut semper faciamus, quod com-
modè possumus, & recta, quæ agimus, non nobis
sed illi adscribamus, sine quo nihil facere possumus.
Et iterum c. 8. spir. Justit. Agnoscat, inquit, quod
vis opera, & quævis gravamina sua minora esse, quæ
ut per illa pro innumeris iniquitatibus suis dignè satis-
facere possit. Bona ergo, quæ facit, & adverte
quæ patitur, ob id faciat, atque patiatur, ut DEUM
quem offendit, placeat, eique placeat, & amicus
sit: DEI honorem, DEI voluntatem in illis spectet.
Cæterum in satisfactionem pro peccatis suis offerat
DEO merita, labores, opera, dolores, & vulnera
Christi; nam hæc indubitanter valent ad plenè
satisfaciendum pro omnibus peccatis.

§. VI.

Tentatio VI. circa moram ante confessionem.

LXXX. **A** Nastasia Ancilla sæpe tum ob multam
nem Personarum confitentium, tum
moram, quam in confessionali faciunt, per integram
horam aut etiam diutius ante Confessionale stare co-
acta, graviter tentatur, atque ad impatientiam com-
moveretur; confitetur proin hoc suum peccatum Con-
fessario, ab eoque, quomodo se contra hanc ten-
tationem armare deinceps debeat, instrui petit. Quo-
ritur, quomodo hoc facere debeat Confessarius.

Responsio.

LXXXI. Inprimis hortetur, ut S. Francisci Beati
giæ exemplum imitari studeat; qui, cum aliquan-
diu ante januam expectare debuisset, secum ipse
pendebat, quoties DEUS hæcenus ad januam com-
medium

quod com- dis sui pulsaverit, intromitti cupiens, & per gratiam
on nobis illud inhabitare, nec tamen nisi post longum tempus
possumus sit intromissus; quàm parùm ergo ægrè ferre debeat,
uit, quo si & ipse non statim admittatur. Simili, inquam, mo-
esse, quò do perpendat etiam ipsa, quamdiu DEUS ipsius pœ-
ignè satis nitentiam expectârit, quoties ad cor per varias inspi-
adventu rationes pulsans admitti petiêrit, nec tamen auditus,
DEUM sed semper ad hunc usque diem expectare sit iussus.
amicus Ferat proin & ipsa patienter, si DEUS per suam per-
is specta missionem efficiat, ut saltem per unam, alterâmvē
is offe horam expectare cogatur, donec ad veniam peccato-
& vuln- rum impetrandam admittatur.

plenè LXXXII. Secundò jubeat illam considerare, quàm
longo tempore multi supplices apud Aulas Principum
expectent, ut gratiam amissam recuperent, vel aliam
quampiam novam gratiam obtineant. Quanto item
cum gaudio Reus aliquis ad rogam damnatus per
multas horas aut dies expectaturus esset ad januam
Judicis, si spem habere posset remissionis pœnæ ab
eodem Judice impetrandæ; quantò æquiùs proin
censendum sit, ut ipsa breviori tempore ante confes-
sionale expectet, ut remissionem rogi infernalis per-
petuò sustinendi, aut certè Purgatorij obtineat, &
amissam, aut saltem imminutam apud DEUM gra-
tiam & favorem recuperet.

LXXXIII. Tertio jubeat considerare, quàm pa-
rùm hæc ejus impatientia profit ad finem, quem in-
tendit, scilicet ut citiùs admittatur, obtinendum, cum
propter ipsius impatientiam nec circumstantes cessu-
aliquantulum locum, nec diutius confitentes confessionem ab-
m ipse breviaturi sint, quàm insipienter proin agat, quòd
quàm medium ad finem nihil profuturum adhibeat, imò

non tantum non profuturum, sed graviter etiam nociturum, cum per eandem suam impatientiam, novæ culpæ, quam pœnæ reatum contrahat, & terea etiam præmij, gaudijque æterni, quod per patientiam obtinere potuisset, jacturam faciat; imò graviolem sibi expectationis molestiam efficiat; imò difficilius plerumque feramus, quæ inviti toleramus. An non ergo præstaret, leviolem sibi hanc molestiam per patientiam facere, eandemque in majorem peccatis satisfactionem offerre?

LXXXIV. Quartò si prætendat, se nescire, agere tam longo tempore debeat, suggerat illi occupationes pias, quas eo tempore exercere possit, quales e. g. esse possunt. 1. Ut, si prævideat iram talem ante confessionalem faciendam, neque pro confiteri soleat, examen & reflexionem super peccata ad illud tempus differat, uti & contritionis confessionem requisitæ elicientiam. 2. Ut sua peccata, saltem graviora, animo iterum revolvat, & primis quàm gravia & fœda sint, consideret: quàm facilè ea multi alij devitent, perpendat tandem quæ media deinceps ad ea vitanda adhibere velit, deliberet, simulque post singula consideret hunc vel alium affectum eliciat: *O mi amantissime DEVS, quàm doleo amore tui, quòd per tale peccatum à me & alijs tam graviter sis offensus. Alioquin scilicet per merita amarissimæ passionis tuæ, gratiamque efficacem ad eadem deinceps non iteranda concede.* Ut unum vel alterum ex quinque motivis, ob potissimum dolor de peccatis eliciendus est, præferatur, nempe quòd DEUS offensus sit *Supremus Dominus Dominantium & Rex Regum, amantissimus*

*Pater, Salvator & Redemptor, Universalis Iudex Vi-
vorum & Mortuorum, liberalissimus Remunerator:*
de quorum singulis perpendere potest, quàm bene
talis titulus DEO attribuat, & quàm æquum sit,
ut propterea quis peccata sua ob eorum gravitatem
detestetur, summumque, quem potest, dolorem hoc
vel simili modo eliciat: *Agnosco, mi DEVS, & con-
fiteor, quòd tu Supremus meus Dominus sis, erubesco
proin, & doleo ex corde, quòd te toties & tam graviter
offendere sim ausus. Ah vel nunc denuo ignosce; nam
firmiter statuo, deinceps te Dominum meum & DEVM
meum non verbis duntaxat, sed opere etiam venerari ac
diligere, tuâque mandata accuratissimè implere.* 4.
Potiora passionis mysteria recolat, & imprimis quidem
meditetur, quàm graves in eo Christus cruciatus sive
animæ, sive corporis pertulerit; deinde quòd ipsa
suis peccatis causa tantorum cruciatuum extiterit, ideò-
que hunc vel similem affectum eliciat: *O Jesu di-
lectissime, ego, ego per peccata mea fui precipua causa
tantorum cruciatuum tuorum. Ah ignosce mihi tan-
tam ingratiitudinem meam, & gratiam largire, ut sal-
tem deinceps hos dolores per iterata mea peccata non re-
novem.* 5. Ut eo tempore rosarium vel psalmos pœ-
nitentiales recitet, aut alias ejusmodi preces ad con-
tritionem eliciendam compositas.

LXXXV. Quintò denique si ideo ad impatientiam
commoveatur, quòd domum properare ad domesti-
ca obsequia debeat, significet illi, quòd, si diutius
expectare non possit, satius sit, ut eo die confessio-
nem & communionem omittat, suamque bonam vo-
luntatem, & obedientiam per domestica negotia di-
ligenter perfecta offerat, quàm ut tam malè disposi-

ta utrumque Sacramentum suscipiat, cum facile possit sequenti die, quando vel nulli, vel pauci confiteres aderunt, confiteri, & communicare, certoque se beneplacitum DEO, Sanctoque, in cujus honorem confiteri intendebat, procuraturam, quam si ipso die fecisset confessa. Quam ob causam scitur, aliquando votas Personas fuisse, quæ, quando magnam confessionem & communionem in aliquo Festo futurum prævidebant, semper pridie ea Sacramenta obibant, ut majori cum tranquillitate ac devotione id præstare possent.

§. VII.

Tentatio VII. circa Confessarium.

LXXXVI. **A** Pollonia femina multis vitijs gravata, subiecta quamprimum ab aliquo Confessario gravem pœnitentiam accipit, aut ad emendationem excitatur, aut historias suas importunè narrare non permittitur, mox graviter tentatur, atque ad illud transit; cum verò mitiorem tandem, & patientiores aures præbentem invenisset, ex hujus discipulo adeò tristatur, ut propemodum statuatur, nunquam deinceps ampliùs, nisi cum præceptum urget, confiteri. Quæritur, quomodo his tentationibus eviandum sit?

Responsio.

LXXXVII. Inprimis ostendat illi, quàm graviter errer Confessarios mutando; nam in hoc similis Caino, qui formidine homicidij agitatus, de loco eligere

locum migravit, carnificem sceleris sui secum ferens; *seruus enim peccati*, teste S. Augustino super psalm. *secum se trahit, quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est, quò eat: Sequitur se, imò non recedit à se, peccatum enim, quod facit, intus est. Vis audire meum consilium? sis vis à DEO fugere, ad ipsum fuge confitendo (uni Confessario) certè tales sunt in manifesto salutis periculo, perinde ut ij, qui Medicos assiduò murant. Sed & manifestum præbent indicium, se sincerum emendandi propositum non habere; hoc enim si seriò concepissent, gratulari sibi potiùs deberent, quòd verum Medicum invenerint, qui manum vulneribus curandis apponere possit, & velit, deque eo illam Siracidis sententiam c. 6. applicare: *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenerit illum, invenit thesaurum. Amico fidelis nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem illius. Amicus fidelis medicamentum vite, & immortalitatis. Si possides Amicum, in tentatione posside illum.**

LXXXVIII. Secundò ostendat eidem, quàm imprudenter & malè agat, historijs & nugis suis impertinentibus aures Confessoriorum implendo, perinde ferè ut ille, qui Chirurgum accedens pro vulnere curando, ad longum eidem narrare vellet, quâ occasione rixa inter ipsum & Adversarium sit orta: quid durante lite aut duello inter ipsos sit dictum, & factum &c. cum potiùs celerem curationem petere deberet. Pariter ostendat, quòd talibus impertinentibus narratiunculis (maximè cum multi adsunt confitentes) peccet contra prudentiam (dum medium eligit ineptum ad finem) contra charitatem (dum alios

lios cum magna molestia diu expectare cogit, & patientiæ non levis occasionem præbet) & contrarietatem religionem denique (dum alios à cultu DEI & Sacramentum per susceptionem Sacramentorum procurandum impedit, quæ utique omnia non levis incommoda damna censenda sunt.

LXXXIX. Tertiò eidem ostendat, quàm magis agat, Confessario suo nimium adhærendo; cum Confessarium ideo duntaxat libenter habere debeat, quia DEUS voluit, ut eum nunc eligeret; cum ergo Superiores eum aliò vocârît, an non signum est clarissimum, quòd nolit, ut eo amplius utatur? ergo non acquiescat huic Sanctissimæ ejus dispositioni, dicatque cum S. Job: *Dominus dedit* (huic Confessarium) *Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Ipse certè Confessarius, si officio suo satisfacere vult, dicet cum Angelo Raphaële ad suos Filios, Filiis confessionis: *Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem DEI eram, ipsum benedicite, & cantate illi. Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit, aut vocavit ad alium locum.* Cum ergo non & ipsa prostrata in faciem benedicat DEUM & acquiescat? maximè cum experientia doceat, magis liorem sæpe successisse, de quo jure illud Eccl. 2. dicitur: *Vinum novum amicus novus* (aut Confessarius) *vinum novum. Veterascet, & cum jucundum bibes illud.* Et verò etiam licet priori non sit similis, aut æquè utilis, DEUS illius insufficientiam per gratiam suam sit suppleturus. Certè sicut Christi humanitatem subtraxit Apostolis, ne inordinate illi adhærendo ab amore perfecto DEI abstraherentur, &

DEUS quandoque similem ob finem dilectos Confessarios aufert.

XC. Quartò denique ostendat, quàm imprudenter agat, statuendo non confiteri, quia antiquum Confessarium habere non potest; quis enim non stultum diceret agrum, qui, quia priorem Medicum amisit, novum non vellet admittere, sed potius morbo, & morti succumbere? atqui simile quid faceret ipsa, si confiteri noller alteri, eò quòd priorem Confessarium habere non possit. Studeat ergo Confessarium non nisi propter DEUM eligere, sic enim fiet, ut propter DEUM etiam libenter, si opus fuerit, sit dimissura, & cum S. David dictura: *Mihi autem adhaerere DEO meo bonum est, & ponere in Domino DEO spem meam.*

CAPUT III.

DE TENTATIONIBUS CIRCA COMMUNIONEM OCCURRENTIBUS.

XCI. ETiam ex hoc fonte non raras provenire tentationes experientia docet, ex qua constat, alios ob indignitatem suam, alios ob defectum preparationis, alios ob nullum gustum, alios ob negotia, alios per respectum humanum, alios ob timorem nimiae familiaritatis, alios ob fructum non notatum, alios denique ob importunam communicantium compressionem graviter quandoque tentari, & vel ad pusillanimitatem, vel ad impatientiam incitari, quibus proin omnibus tentationibus quomodo sit occurrendum, in praesenti capite ostendetur.

§. I.

Tentatio 1. circa Indignitatem communicaturi.

XCII. **L** Idwina Virgo valde devota ardentissimè quidem desiderio flagrat, Evcharistia pius percipiendæ, quia tamen in libello de imitatione Christi l. 4. c. 5. legit: *Si haberes Angelicam puritatem, & S. Joannis Baptiste Sanctitatem, non es dignus hoc Sacramentum accipere: vehementer time ad eam sæpius accedere, eò quòd omni ex parte indignam se tam grandi mysterio judicet.* Quæritur quomodo adversus hanc tentationem armari debeat Confessario?

Responsio.

XCIII. Inprimis ei in memoriam revocet commune dictum multorum dicere solitorum: *Vini ich nit würdig / ist doch mein Seel nothdürfftig: non sum dignus, saltem sum indigus:* quam necessitatem bene ostendit Thomas Kemp. l. 4. c. 11. dicit ait: *Duo mihi permaximè necessaria sentio in hac vita, sive quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carcere corporis huius detentus, duobus egere fateor, cibo scilicet & lumine. Dediisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectorem mentis & corporis, & posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum. Sine his duobus bene vivere non possem nam Verbum DEI lux anima, & Sacramentum tuum panis vita.* Nempe sicut corpus sine cibo diu vivere non potest, quia, cùm humidum radicale, nostræ fons, sensim ab insito calore consumatur, po-

alimentum restaurari debet; ita nisi divinæ gratiæ, quæ sola animæ vita est, humor nutrimento cœlestis panis foveatur, necesse est, ut concupiscentiæ ardoribus, quàm citissimè pereat.

XCIV. Secundò eidem narret, quòd S. Gertrudis, teste Blofio c. 6. monil. 1. à Christo intellexerit, illos non irreverenter, nec indignè sumere Evcharistiam, qui eam piè sumunt ex desiderio honoris & laudis, atque gloriæ DEI; quæ sanè gloria divina in hoc præcipuè elucescit, quòd summa illa Majestas tam indignis hominibus se communicare non dedignetur, itaque homines bonæ voluntatis, qui absque fictione DEUM, & propriam salutem quærunt, & humiles, spiritualesque esse conantur, & Sacerdoti suo purè peccata sua confitentur, debent DEO satis confidere, sicque super ejus misericordia & benignitate Sacramentum Evcharistiæ accipere, quoties ex bona consuetudine recipere solent.

XCV. Tertio eidem ostendat, duplicem esse dignitatem, quæ ad hoc Sacramentum sumendum afferri potest, unam cum dignitate Christi, qui sumitur, comparatam, seu talem, qualem ipse Christus meretur, & hanc à nullo homine requiri posse, cum sit illi impossibilis; alteram cum ipso homine Christum recipiente comparatam, & hanc, quia plùs non requirit, quàm ut homo, quantum sibi possibile est, faciat, sufficere, si afferatur. Sicut si Rex aliquis ad Rusticum divertere vellet, & hic casam, ut posset, everreret; hypocauftum arboribus ornaret: fruges, cibosque rusticanos, quos haberet, optimos apponeret, Regem non quidem pro conditione regia, sed tamen dignè pro suo id est, Rustici statu excepisse,

pisse, ideoque meritò laudem & præmium meritum fuisse diceretur.

XCVI. Quartò hortetur eam, ut consilium à Christo S. Mechtildi datum sequatur, dum dixit illi: Quando Sacram Communionem perceptura es, desideras, & optas ad laudem nominis mei habere omne desiderium, omnemque amorem, quo unquam cor aliquod erga me flagravit, & ita ad me accede; nam ego amorem illum in te attendam, atque suscipiam, non sicut est in te, sed sicut velles eum in te esse. Quod ipsum etiam alio tempore S. Gertrudi dixit, testatur Blofio in Mon. c. 6. dum illa corpus ejus sumptura nimis imparatam se vidit, ideoque rogavit B. Virginem & omnes Sanctos, ut Domino pro se offerrent omnem dignitatem, quâ quilibet ipsorum unquam paratus fuerat ad gratiam DEI recipiendam, tum enim Christus eidem dixit: Jam verè omnibus cæli civibus appares in eo ornatu, quem tibi petijsti.

XCVI. Quintò denique eidem ex insinuat. S. Gertrudis referat, quòd, cum aliquando Virgo quadam zelo inordinato alias sorores à perceptione Sacramenti abstraxisset, Christus S. Gertrudi dixerit: cum deliciæ meæ sint esse cum Filijs hominum, & ego hoc Sacramentum ex summa charitate in meam commemorationem fidelibus suscipiendam reliquerim, atque etiam per illud cum eis usque ad consummationem sæculi remanere velim, quicumque aliquos à mortali peccato immunes verbis vel suasionibus ab ejus perceptione retrahit, is quodammodo impedit, & interruptit delicias meas, quas cum illo habere possem. Jubeat proin illam considerare, an non gratius

tius futurum sit Christo, si cum humilitate accedat, quam cum metu irreverentiæ abstineat.

§. II.

Tentatio II. circa veritatem Communionis.

XCVII. **A** Nastasia Matrona, quoties communicat, gravissimas patitur tentationes circa veritatem Evcharistiæ, unde non modò fervorem omnem ad præparationem, sed etiam devotionem in ipsa actuali devotione imminui queritur, ideòque à Confessario suo confirmari petit. Queritur, quomodo id facere debeat Confessarius?

Responsio.

XCVIII. Inprimis ei narret, quid S. Bernardus in Epist. dixerit: *Sacramentum DEI altissimum sumendum est, non discutiendum: venerandum, non dijudicandum, fide sortitum, non innatum: traditione acceptum, non ratione adinventum.* Cui etiam Thomas Kemp. l. 4. c. ult. adstipulatur dicens: *Cavendum tibi est à curiosa & inutili perscrutatione hujus profundissimi Sacramenti, si non vis in dubitationis profundo submergi. Qui Scrutator est majestatis, opprimetur à gloria. Fides à te exigitur, & sincera vita, non altitudo intellectûs, neque profundum mysteriorum DEI. Si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt, quomodo comprehendes, quæ supra te sunt? Subdere DEO, & humilia sensum tuum fidei, & dabitur tibi scientiæ lumen; prout tibi fuerit utile & necessarium.* Atque adeò rectè S. Thomas

mas

mas in sequentia dixit : *Quod non capis, quod non vis des, animosa firmat fides, prater rerum ordinem.*

XCIX. Secundò eidem ostendat, & enarret, varia argumenta & similitudines, quibus SS. Patres credibilitatem hujus mysterij demonstrare conati sunt. Inter quos S. Eusebius Emyss. ho. 5. de Pasch. sic ait : *Sicut ad nutum precipientis Domini repente ex nihilo substituerunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, variae terrarum, pari potentiâ in Spiritualibus Sacramentis verbi precipit virtus, & servit effectus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui est Author muneris, ipse etiam est testis veritatis.* S. & S. Ambrosius l. 3. de Sacr. id ipsum bene sequentibus argumentis confirmat : *Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo advocaret, non valebit sermo Christi, ut species elementorum mutetur : de totius Mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Sermo igitur Christi, qui ex nihilo potuit facere, quod non erat, non potuit ea, quae sunt, mutare in illud, quod non sunt : non enim minus est, novas rebus dare formas, quam mutare naturas.* Et iterum ibidem : *Liquet, quia prater rerum ordinem Virgo generavit, & hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est. Quid queris naturae ordinem in Christi corpore, cum prater naturam sit ipsius partus ex Virgine?*

C. Tertiò eidem ostendat, quàm multi milliones hominum, etiam doctissimorum, hoc mysterium firmissimâ fide crediderint, & proprii etiam sanguinis profusione confirmârint, & etiamnum credant, & confirmare parati sint ; quàm ergo indecorum & praesumptum sit futurum, si ipsa velut simplex

mina multum de hoc mysterio dubitare, & de possibilitate ipsius iudicium temerarium formare præsumpserit. Dicat ergo illi, quod olim in alia materia S. Augustino dictum est: *Potuerunt isti, & ista, & tu non poteris?*

CI. Quartò eidem ostendat, quot, quantisque miraculis probatissimis hæc veritas sit confirmata. Quoties irrationabilia animalia coram SS. Evcharistia genua flexerint, aut alia signa rēverentiæ exhibuerint: quoties infantulus sub speciebus Evcharisticis sit visus; singulariter verò tempore S. Gregorij Mulier quæpiam, quæ credere noluit, Christum latere sub hostia, eò quòd ipsamet eam pinxerit, ad preces S. Gregorij eandem in carnem conversam, & mox iterum in antiquas species reductam viderit, uti Bredenbach. coll. 1. c. 17. testatur.

CII. Quintò denique eidem ostendat, quòd hæc infidelitas gravissima ei damna inferat, & in specie omnem devotionem, consolationem, & fructum, quem ex assensu firmo huic mysterio præbito sperare potuisset, destruat, & impediat; multi enim, teste Thoma Kempensi l. 4. c. ult. devotionem perdiderunt, dum altiora scrutari voluerunt; si autem devotio perditæ est, etiam fructus ex perceptione hujus Sacramenti percipi solitus facilè amittetur. Unde meritò eam sequentibus citati Authoris verbis hortari poterit: Perge ergo cum simplici & indubitata fide, & cum supplici reverentia ad Sacramentum accedere; & quidquid intelligere non vales, DEO omnipotenti securè committe; non fallit te DEUS: fallitur, qui sibi ipsi nimium credit. Fides & amor hîc maximè præcellunt, & occultis modis in hoc sanctissimo & super-

superexcellentiſſimo Sacramento operantur. Jube etiam ipſam exemplum S. Ludovici ob oculos habere qui, dum in fatali morbo viaticum accipere velle & à Parocho quæreretur, num crederet, Filium Dei verè in hoc Sacramento contineri? reſpondit: Minime hac de re dubito, quàm ſi oculis Chriſtum in ea forma, quâ cœlum aſcendit, intuerer. Unde & alio tempore admonitus, Puerulum in hoſtia viſibilem apparere, noluit oculos ad eum videndum dirigere, ſatis ſibi eſſe, quòd fidei oculo eum intueretur, & hâc ratione ejusdem fidei meritum conſervari poſſit.

§. III.

Tentatio III. ob defectum guſtûs & conſolationis ſub communione.

CIII. **I**oanna Vidua, eſſi ſingulis ſeptimanis cum facultate Confefſarij communicet, tamen tamen guſtum aut conſolationem ex tot communionibus ſe percipere queritur; unde quia hanc carentiam guſtûs fortè ex nimia familiaritate, quæ contemptum parit, aut conſuetudine oriri ſuſpicatur, ſtatuit deinceps non niſi ſingulis menſibus, aut rariſſime etiam communicare; priùs tamen tentationem hanc ſuam Confefſario aperit, ejusque conſilium requirit. Quæritur, quid eidem reſpondendum, & quomodo huic tentationi occurrendum ſit?

Reſponſio.

CIV. Inprimis illi reſpondeat, hanc carentiam ſepe ex propria culpa provenire; quia fortè ſe ad communionem non, ut oportet, præparavit, aut aliter

peccato vel creaturæ adhuc per inordinatum amorem nimis adhæret; nam, ut bene Thomas Kemp. in Persona Christi l. 4. c. 12. dixit, si vis, ut veniam ad te, & apud te maneam, expurga vetus fermentum, & munda cordis tui habitaculum: exclude totum seculū & omnem vitiōrū turbā: nam omnis amans suo dilecto amatori optimum & pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus susipientis dilectum. Sequendum ergo mandatum Jacobi Patriarchæ Gen. 35. Qui, cum Sacrificium offerre vellet, universæ suæ domui præcepit: abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Quod clariùs explicans S. Aug. s. i. de temp. *Quantum possumus*, inquit, cum DEI adjutorio laboremus, ut cum sincera & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad altare DEI possimus accedere, & corpus & sanguinem ejus non ad judicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam, Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ea corrumpitur, quàm sanatur: magis occiditur, quàm vivificatur.

CV. Secundò ostendat eidem, talem inopiam gultus & consolationis ex sola dispensatione divina interdum oriri, quia scilicet & DEO honorificentius, & communicanti utiliùs est; & DEO quidem major honor & gloria oritur ex eo, quòd apud tales purior plerumque sit intentio, amorque, dum non propter consolationem ullam, sed solum DEI beneplacitum ad communionem accedunt; ipsi verò communicanti major utilitas provenit, quia in spiritu & perfectione

etione magis proficit; nam uti rectè Thomas Kemp. mem.
l. 3. c. 7. advertebat, non est in eo tantum profectus ritus ta-
ritualis positus, cum consolationis habuerimus devotione-
tiam, sed cum humiliter & abnegatè patienterque libere
subtractionem tulerimus, ita quod tunc ab oratione & ma-
(& communionis) studio non torpeamus, nec disponamus
opera ex usu facienda omnino dilabi permittamus. Cuius
sed, sicut melius potuerimus, & intellexerimus, quod facillime
in nobis est, faciamus, nec propter ariditatem seu communio-
nietatem mentis, quam sentimus, nos totaliter nequeamus.
gamus.

CVI. Tertiò eidem ostendat, non rarò etiam magis sen-
provenire, quod gustus non percipiatur, quia in contristatione
natè nimis appetitur, & quasi cum indiscreta violentia, quod
tia extorquetur; unde fit, ut, quod impetuosius sine, quod
votionem quærit, tantò minùs inveniat, sicut cibus antè
botri in torculari, aut olivæ in prælo vehementer querere
comprimuntur, liquor magis turbidus & insipidus expecta-
fluit. Quam rationem confirmans S. Bonaventura studiosè
c. 21. de processu relig. Fit, inquit, etiam plerumque dum super
studiosis devotionis, ut, dum magis conantur habere. Et
devotionis gratiam, minùs habeant; & cum eo pluri co-
mentius instant, aridiores & duriores corde fiant. Et omni in-
in summis festivitatibus, & devotis temporibus creata e-
fionis Christi, & Nativitatis, & similibus, & magis dignus e-
mè cum se ad communionem student sollicitè præparari. Cui bene-
Et multi ex hoc sapissimè contristantur, & ex ista causa
te turbati ex cordis pusillanimitate interpretantur. Cuius
fortè sunt indigni visitatione divinà & quod non merito
ceat DEO, ut sic indigni & indevoti accedant ad augere
gram communionem, & sic sæpe se subtrahunt a perierit:
vita, & medicina salutis. Ludovicus Granatensis Christiana
3. m.

mas Kemp. mem. c. 11. ideo id ipsum contingere ait, quòd Spi-
ritus talis sollicitudine & vehementiâ desiderij, quâ de-
votionem desiderant, obruiatur; alijs verò tempori-
tèrquebus libertati suæ relictus se sponte elevet in sublime,
b oratione & majori procedens cum puritate & libertate magis
is, nec disponatur ad optatam devotionem percipiendam.

CVII. Quartò eidem ostendat, optimum & effi-
cissimum medium devotionem & gustum in com-
munionem obtinendi, illum scilicet, quem Thomas
Kemp. l. 4. c. 15. offert, dum ait: Humiliare præci-
pue te debes, cum parum aut nihil devotionis inte-
rius sentis, sed non nimium deijci, nec inordinatè
incontristari. Dat sæpe DEUS in uno brevi momen-
ta voto, quod longo tempore negavit: dat quandoque in
uo sine, quod in principio orationis distulit dare. Et pau-
sicut cò ante, oportet, inquit, devotionis gratiam instanter
ehementer querere, desideranter petere, patienter & fiducialiter
& insperare, gratanter recipere, humiliter conservare,
onaverè cum ea operari, ac DEO terminum & mo-
plendum supernæ visitationis, donec veniat, committe-
tur. Et infra: Quisquis ergo intentionem suam simp-
lici corde solum ad DEUM levaverit, seque ab
omni inordinato amore seu displicentia cujuslibet rei
creatae evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ, ac
dignus devotionis munere erit; dat enim Dominus
benedictionem suam, ubi vala vacua invenerit.

CVIII. Quintò denique eidem efficaciter osten-
dat, consuetudinem & familiaritatem in hoc Sacra-
mento non parere contemptum, sed potius appetitum
augere juxta illud Eccl. 24. *Qui edunt me, adhuc e-
suriunt: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Uti in primis
Christianis patebat, qui quotidie frangebant hunc pa-
nem,

nem, nec tamen inde fastidium conceperunt; & fortè Christus etiam sub speciebus panis, qui non inde ut alij cibi fastidium creare solet, instituit. Catenensis l. c. idipsum ex eo ostendit, quòd homo hoc Sacramento gratiam suscipiat, quò magis gratia crescit, eò etiam magis amor, devotio, caritas, & omnes aliæ virtutes, quæ ex gratia fluunt, quæque sunt maximæ præparationes ad hoc Sacramentum requisitæ, crescere soleant, & confirmari. Idipsum ex differentia spiritualium & corporalium deliciarum, ut à D. Gregorio assignata, dum ait: *Hoc, Fratres charissimi, distare inter delicias corporis & cordis solet, corporales cum non habentur, grave desiderium incedunt; cum verò habita eduntur, comedente continuo in fastidium per satietatem vertunt, quod quædam patet in homine famelico, & qui exsaturatus est. contrà Spirituales delicia, cum non habentur, in desiderio sunt; cum verò habentur in desiderio, tantum comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuri amplius comeduntur.*

§. IV.

Tentatio IV. ob frequentiam communionis.

CIX. **R**osina Virgo nobilis, sed pietati non modum dedita à Matre sua Matrona de devota assiduo urgetur ad communionem frequentandam, & singulis saltem mensibus peragendam, quod tamen ipsa non nisi invitissima facit, obijci præceptum spiritualis suæ Matris Ecclesiæ non annuam communionem præscribentis. Quomodo hæc ei tentatio eripienda sit?

Responsio.

CX. Inprimis ante omnia eidem objectionem de præcepta non nisi annua communione solvat, ostendat, & hæc, Ecclesiam per hoc præceptum voluisse se recipiam Matrem ostendere, & non dare debilibus occasiõem indignè communicandi, aut præcepta sua transgrediendi; interim tamen non solum non prohibeat idcirco frequentiore communione, sed potius optat, ut quotidie perageretur, uti ex concilio Tridentino sess. 22. patet. Sed & tot Indulgentias proponere communicantibus, ut vel hoc saltem illicio ad frequentiore communione impellantur.

CXI. Secundò ostendat eidem, quantos fructus ex S. Communione percipere possit; nam 1. vix ullum est efficacius medium salutem suam asscurandi, vitamque spiritualem gratiæ conservandi; quemadmodum enim homines in Paradiso terrestri agentes secundum corpus mori non poterant ob efficaciam arboris vitæ in medio Paradisi plantatæ; sic iidem spiritualiter mori non possunt, si de fructu hujus SS. Sacramenti, quod est verè arbor vitæ æternæ, gustaverint. Et verò si Rahab Meretrix olim ab interitu eum tota sua Familia servata est, eò quòd Exploratores à Josue missos semel duntaxat hospitio suscepit; quò magis ab interitu æterno servabitur, qui Christum Judicem olim suum futurum in comunione frequenter hospitio exceperit. 2. Robur ad peccata vitanda accipitur, uti S. Bernardus s. de cæn. Dom. clarè ostendit dicens: *Duo præcipuè in nobis hoc Sacramentum operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino*

nino consensum. Si quis vestrum non tam sape
 tam acerbos sentit iracundia motus, invidia, luxu
 aut caterorum huiusmodi, gratias agat corpori &
 guini Domini quoniam virtus Sacramenti operatur
 eo. Nimirum hic maximè impletur illud Luc. 6.
 omnis turba querebat eum tangere, quia virtus
 exhibat, & sanabat omnes. 3. Ingentem gratiæ &
 tutum cumulum percipit, ita ut potiori jure de C
 sto veluti sapientia increata, quàm Salomon de
 ta, dicere possit: Venerunt autem mihi omnia
 pariter cum illa, & innumerabilis honestas per
 illius. Unde S. Maria Magdalena de Pazzis
 solebat, animam susceptâ sacrâ Eucharistiâ verè
 dicere cum Christo: consummatus est: quia in
 cœlesti cibo omnia bona consummantur, & con
 nentur, utpote per quem Christus omnes virtutes
 & bona, & gratias producit, adeò ut nihil ar
 desiderare possit, cum in eo sint omnes thesauri
 sapientiæ & scientiæ DEI: vit. p. 4. c. 4. Aliàs
 dicebat, unam communionem bene factam sufficere
 ad animam perfectam faciendam. Hinc suis
 virijs dicere solebat: Si desideratis brevè veni
 perfectionem magnam, accipite pro magistro
 Christum crucifixum, attentas illi præbere aures
 perpetuò loquitur in corde, sed præcipuè in illa
 ra, quando recepistis SS. Sacramentum. Ut
 meritò Christus illud Jacobi Patriarchæ ad com
 nicantem dicere possit: Modicum habuisti anie
 venirem ad te, & nunc dives effectus es, benedixi
 tibi DEVS ad introitum meum.

CXII. Tertio ostendat eidem, quanta caritate
 DEUS hoc Sacramentum instituerit, quanta

adèd ingrata sit futura, si illud & rarè, & cum ræ-
dio sit susceptura. Cerrè S. Catharinæ Senensi dixit
DEUS Dial. III. *uniuscujusque creatura ratio-*
nalis cor ex amore solvi deberet, quo DEVS nos afficit,
quando nobis suum corpus & sanguinem in Evchari-
stia porrigit. Et meritò, nam ut S. Laurentius Ju-
stin. l. I. de cast. connub. c. 24. rectè dixit, hoc bene-
ficiuin nec humanus valet explicare sensus, nec An-
gelicus intellectus, sed solus ille novit, qui solus vo-
luit, & potuit facere in eo tanta & talia, ubique
omnipotens, ubique gloriosus. Unde S. Chrysosto-
mus ho. 60. ad pop. *quot nunc, inquit, dicunt: vel-*
lem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, cal-
ceamenta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum man-
ducas. Igitur nemo accedat cum nausea, nemo resolu-
tus, omnes accensi, omnes ferventes & excitati.

CXIII. Quartò ostendat eidem necessitatem fre-
quentioris communionis, quam quidem bene ob o-
culos ponit S. Ambrosius de Sacr. dum ait: *Si, quo-*
tiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccato-
rum funditur, debeat illum semper accipere, ut semper
mibi peccata remittantur: qui semper pecco, debeat
semper habere medicinam. Cui consentiens S. Augu-
stinus in Mart. *Accipe, inquit, quotidie, quod quoti-*
die tibi profit. Sic vive, ut quotidie merearis accipe-
re: qui non meretur quotidie accipere, non meretur
post annum accipere; nam, ut S. Chrysostomus in
orat. de S. Philogon dixit, *Communionis tempus non*
est festum atque celebritas, sed conscientia pura, vitæ-
que a peccatis purgata.

CXIV. Quintò denique illi ostendat, quanta in-
commoda & damna sibi accersat per tantam dilatio-
nem;

nem; nam 1. passiones penitus invalescent, & consuetudo per peccata repetita contrahetur, quæ nisi summa cum difficultate iterum eradicabitur. Hoc cum mulier quædam incantationibus Magorum equum conversa, & S. Macarij, ad quem deducta marito fuerat, precibus pristinae formæ restituta esset, ipse S. Macarius causam hujus permissionis efforcebatur, quod per quinque septimanas à communione abstinuisset, uti in spec. Ex. dist. 2. ex. 75. refertur.

2. Pœnam purgatorij ob socordiam talem mereri potest; nam, ut Blosius. in monil. c. 6. refertur anima cujusdam defuncti cuidam DEI Amico flamma ardoris immensi apparens dixit, se ea sola causa tam diris cruciatibus torqueri, quod circa Divini corporis perceptionem fuisset negligentior, & didicitque, si vel semel venerabile Sacramentum deus pro se accipere dignaretur, se mox liberandum. Quod, cum ille DEI Amicus fecisset, sequenti die anima sole fulgentior atque micantior illi apparuit, & càm illâ dignissimi Sacramenti hujus perceptione ab intolerabilibus pœnis liberata, atque ad cœlum & æternam beatitudinem evecta.

3. Etiam ipsam pœnam inferni timere potest, non quod sola hæc negligentia eandem mereatur, sed quod per eam paulatim debilitetur voluntas, ut tandem in gravia etiam peccata consentiat, sicque infernum mereatur. Hic S. Cyrillus in Joan. Sciunt, inquit, baptizati homines, si longo temporis spatio propter simulatam religionem mysticè Christo communicare recusent, ab æterna vita se procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi quamvis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit. Quare oportet omnibus

ribus mundari à peccato, & rectè vivendi jactis fundamentis magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Quare adhortetur illam, ut illa pij Authoris l. 4. c. 10. verba sibi applicet: Quid prodest diu tardare confessionem, aut sacram communionem? expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, & senties melius, quàm si distuleris. Si hodie propter istud dimittis, cras forsitan aliud majus eveniet, & sic diu posses à Communionem impediri, & magis ineptus fieri.

§. V.

Tentatio V. ob respectum humanum.

CXV. **A**liplus Aulicus, cùm & audivisset, & legisset, quàm copiosos & magnos fructus reportari soleant ex frequentiore communionem, ardentissimo quidem & ipse incensus est desiderio, eandem sæpius frequentandi; sed quia facilè advertit, se ab Aulicis alijs velut devotulum irrisum, & contemptui habitum iri, non audet huic suo desiderio satisfacere, & frequentius ad sacram mensam accedere. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem ex respectu humano proveniente armandus sit?

Responsio.

CXVI. Inprimis ostendat eidem, quantopere deceat Christianum ejusmodi respectus humanus, cùm nihil sit aliud, quàm Christum Dominum Majestatis hominibus, vilissimis terræ vermiculis, Regem potentissimum abjectissimis mendicabulis postponere, sicque Judæos imitari, qui Barrabam Christo proponere sunt ausi: item Phariseos illos, de quibus

G 5

S. Joan.

S. Joannes c. 12. dicit, quòd crediderint quidem Christum, sed propter Phariseos alios confiteri eundem non sint ausi, eò quòd dilexerint gloriam hominum magis, quàm DEI. an non ergo meritò timere poterit, ne Christus olim ad ipsum quoque petat illud Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones* (quibus eum ad mensam meam invitavi) *hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua & Patris, & sanctorum Angelorum.*

CXVII. Secundo illi in memoriam revocet, quòd Christus Luc. 14. de illis, qui invitati ad cœnam magnam à Rege institutam, & sese frivole excusantibus dixerit, nimirum: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* An non ergo meritò timere poterit, ne, dum in vita comparere apud cœnam hanc noluerit, etiam tempore mortis non sit admittendus, atque adeò loco viatico velut summo morientium robore & solatio cariturus? an non timere poterit, ne post mortem illud prov. c. 1. audire cogatur: *Quia vocavi vos (ad cœnam meam) & renuistis: extendi manum meam (sacrum corpus meum porrigere volentem) & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum (quo frequentiore communionem vobis sua debebam) ego quoque in interitu vestro ridebo.*

CXVIII. Tertiò illi significet, quid olim Christus S. Francisco nomen militiæ dare volenti dixerit, nempe: *Francisce, quis potest melius facere tibi, Dominus, an servus: dives, an pauper?* cui cùm Franciscus respondisset, quòd tam Dominus, quàm dives opem ferre melius potest, subjecit Christus: *Cur ergo relinquis pro servo Dominum, & pro paupere hominem?*

mine divitem DEUM? Idem ergo, & sibi dictum existimet Alipius, simulque consideret, si Rex aliquis terrenus cuivis pro se communicaturo decem aut duodecim aureos nummos promitteret, quàm fortiter homines omnes respectus & dicta hominum obloquentium essent contempturi; an ergo pauci nummi aurei tantum robur dare possunt ad respectus hos contemnendos, & ingentia illa bona, quæ Christus in hoc Sacramento promittit, & confert, similem contemptum obtinere non poterunt?

CXIX. Quartò illi in memoriam revocet commune Ascetarum axioma à S. Climacho acceptum: *Prima*, id est, primaria *virtus Monachi* (imò & cuiusvis hominis Christiani) *est hominum iudicia contemnere*, id quod S. Paulus etiam ad Gal. c. 1. indicavit dicens: *Si adhuc hominibus placerem, Christi Servus non essem.* Certè S. Gregorius Nazianz. orat. 27. adeò hanc doctrinam æstimavit, ut dixerit, cordatis hominibus pluris faciendum, magisque curandum esse iudicium DEI, quàm omnium aliorum in unum coactorum. An tu, inquit, si duos homines, quorum alter acutior & sagacior, alter imperitior, & hebetior esset, de eodem negotio in consilium adhiberes, haud rectâ mente præditus videreris, si relicto prudenti consilio, iudicium imperiti sequereris? neque enim Roboam laudem ex eo est consecutus, quòd pro nihilo habitâ Senum sententiâ, Juvenum consilijs paruit. Cùm autem DEUS & Homines inter se expendantur, iudicia Hominum potiora duces, quàm DEI? Rectè proin Alipius illa pij Authoris verba l. 3. c. 36. sibi applicabit: *Quis es tu, ut timeas à mortali homine? hodie est, & cras non comparere.*

ret. *DEVM time, & hominum terrores non epavesces.*

CXX. Quintò denique hortetur, ut in hoc negotio urfos imitetur, qui tantâ aviditate melli in alvearibus inhiant, ut, quò dulcedine hâc frui possint, omnes Apum aculeos, quantumcunque fodicantes contemnant, quantò magis ergo ipse, ut dulcedine ex Christi corpore hauri solita (quam Ecclesia in officio defesto illius indicat dicens: *O quàm suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in Filios tuos demonstrares, pane suavissimo de cœlo præsisto, effluentes repleas bonis*) frui possit, omnes obloquentium aculeos contemnere debebit, diceréque cum D. Paul. 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer aut ab humano die.* Et cum S. David coram arce saltante, & à Michol uxore despecto: *ludam & vilior fiam, plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* 2. Reg. 6. nam, ut etiam Cicero l. 3. offic. advertit, cum, quod utile videtur in amicitia cum honesto comparatur (uti est gratia amici cum favore DEI) jaceat utilitatis species, valeat honestas. Cùm autem in amicitia, quæ honesta non sunt, consulabuntur, Religio & Fides anteponantur amicitia.

§. VI.

Tentatio VI. ob negotia à Communionem impediencia.

CXXI. **T**heophilus Studiosus adeò se abripi à studiorum fervore patitur, ut, quò plùs temporis ad studendum habeat, & ardentissimo studiendi desiderio faciat satis, nonnunquam commu-

nionem, quam singulis alioqui septimanis peragere solebat, omnino intermittat, plerumque autem vix sumpto Christi corpore è templo discedat, atque ad studia properet. Quæritur itaque quomodo huic tentationi Confessarius obviare debeat?

Responsio.

CXXII. Inprimis ei in memoriam reducat, quod Thomas Kemp. l. 4. c. 12. rectè monet, dum ait: Oportet autem, ut non solum te præpares ad devotionem ante communionem, sed ut etiam te sollicitè conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota preparatio prius; nam bona postmodum custodia optima iterum est preparatio ad maiorem gratiam conservandam. Quis autem bonam custodiam dicat, si quis statim post communionem, sine gratiarum actione, aut colloquio cum Hospite suo ad negotia sua redeat?

CXXIII. Secundò eidem ostendat, quàm inurbanum dicturus esset illum, qui gratissimo & diu considerato & invitato Hospite domum ingresso, per posticam januam exiret, ipsùmque solum sine ullo colloquio relinqueret; maximè si varia, eaque pretiosa munera secum allaturus, donaturusque esset tantus hospes? atque idem, teste S. Tereſia l. 1. c. 34. vit. facit, qui Christo intra se recepto, mox sine ulla alia oratione ad negotia redit. Hinc P. Balthasar Alvarez c. 6. §. 2. vit. ait intolerabilem esse Phrenesim, si aliqui pedes pruriant ad discedendum à communionem sub prætextu lectionis, collocationis vel deambulationis.

CXXIV. Tertiò suggerat illi saluberrimam doctrinam,

Erinam, quam S. Maria Magdalena de Pazzi p. 1. 65. vit. suis suggererat dicens : si desideratis, breviter pervenire ad magnam perfectionem, accipite pro Magistro vestro Christum crucifixum, attentas aures præbere ejus verbis, quia perpetuò vos alloquitur in corde, maximè in illa hora, quando recepistis SS. Sacramentum; de quo tempore P. Balthasar Alvarez nec momentum amitti volebat juxta illud Eccl. 14. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te praterat.*

CXXV. Quartò eidem ostendat, quàm imprudenter agat, Magistrum omnium scientiarum propter scientiæ acquirendæ spem derelinquendo; quid enim nos possunt libri docere, quòd non divina Majestas melius præsens doceat? quem saporem & delectationem nobis creaturæ afferre possunt, quam ipse non possit plenius nobis conferre, nosque saturare? & quam sanctitatem ex earum conversatione haurire possumus, quàm majorem non afferat familiaritas cum ipso? quid boni lectio habet, nisi quòd affectum nostrum erga ipsum excitet? quid spiritualia exercitia, nisi quòd ad ipsum nos inclinent? Unde addit in fine: Qui in domo tua non ostendit tibi promptam voluntatem, quomodo iterum tuum ad eandem adventum expectabit? Qui dum te hospitem habet, properat, ut exeat è domo sua, facile ostendit, se colere habere alibi obstrictum. Cui tecum manere tædium est, cum tu ipsius honoris ergo accesseris ad ipsum, DEUS & totum bonum illius, cum quo is omnia negotia sua feliciter expediat, non habet amplius, quod agat, aut quærat: cùmque solius hujus rei causa na-

tus sit in mundo, facile ostendit, se phrenesi laborare, si tecum non maneat libenter.

CXXVI. Quintò denique commune ei Ascetarum axioma in memoriam revocet, quo dicunt: *Scientia, qua propter virtutem despicitur, per virtutem melius recuperatur.* Jubeat proin & ipsum sperare, quòd, si magna in Christum fiducia fructum illum, quem ex labore diuturniori & industria sua sperare poterat, generosè contemnat, multiplici scènore eundem recuperaturus, illudque Christi Jo. 15. implendum sit: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fere fructum multum.* Nimirum ipse est, de quo Thomas Kemp. l. 3. c. 43. ait: *Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures aeterna veritatis capias rationes, quàm si decem annis in scholis studuisset.* Audiat ergo S. Chrysostomi ho. 16. ad Pop. monitum: *Ne cures tua, sed ea DEO dimitte. Nam si satagas, tanquam Homo satagis: si verò dimittas, DEUS providebit. Si verò & ipse spiritualibus omissis ea tractaveris, non multam ipse curam geret. Ut igitur & hac tibi disponantur (puta quæcunque negotia tua) & omni curâ libereris (de felici successu) spiritualia tene (maximè longiorem cum Christo Eucharistico conversationem) contemne secularia, seu quascunque alias occupationes.*

§. VII.

Tentatio VII. ob carentiam fructûs.

CXXVII. **C**ordula Virgo devota singulis quidem septimanis confitetur, & communicat; sed quia post toties iteratas communionem nullum

lum advertit fructum, sed antiquis vitijs & imperfectionibus perinde ut prius subjectam se esse, graviter tentatur, & impellitur ad communionem non quidem omnino contemnendam, & negligendam, sed tamen rariùs peragendam. Antè tamen, quàm hoc omnino concludat, Confessario hanc suam tentationem manifestat, ejusque consilium requirit. Quomodo respondetur, quomodo huic tentationi occurrere debet Confessarius?

Responsio.

CXXVIII. Inprimis ei ostendat, sæpe communionis tantum vitio fieri, quòd optatus fructus ab ijs non referatur, quando scilicet vel malè se præparant, vel affectus quosdam inordinatos habent, quos vincere ipsi non student; nam Evcharistia perinde ut agentia naturalia operatur plùs, vel minùs, prout subjectum magis vel minùs dispositum reperit. Jubeat ergo illam inquirere, an non simile impedimentum etiam ipsa posuerit, sicque effecerit, ut optatus fructus non referret; sicut enim ignis fortiùs accenditur in ligno sicco, quàm viridi exardescit, ita Christus in Evcharistia citiùs & copiosiùs amore suo accendit illum, qui à terrenis cupiditatibus exsiccatus est, quàm quem iisdem adhuc repletum invenit.

CXXIX. Secundò eidem significet, quòd, si non advertat fructum sensibiliter, non tamen inde bene concludat, quòd nullum referat; nam & in corpore non semper sentimus fructum cibi sumptionis, tamen non propterea sumptionem talem omittimus, cum sciamus, nos insensibiliter crescere, aut crassiores fieri, aut pinguescere, aut certè vitam conservare per illam.

illum. Idem ergo per cibum hunc cœlestem sibi fieri existimet, sicque perinde illum, ac cibum corporalem vitæ corporis fructuosum existimet.

CXXX. Tertiò hortetur, ut, quemadmodum S. Ignatius Loiola, cùm ei obijceretur, frustra ipsum pro meretricibus domum tanto labore & sumptu ædificasse, eò quòd quamprimùm ad vomitum sint reversuræ. Respondit, sat magnum operæ & impensæ pretium se reportasse, si per illas effecerit, ut vel unâ nocte à peccato se abstinuerint; ita & ipsa credat, se sat magnum ex communione fructum reportasse, si vel hoc tempore, quo communicat, à peccatis abstineat, Deoque, & Angelis, Sanctisque gratum per communionem talem obsequium præster, cùm vel unica corporis Christi oblatio gravior illis accidat, quàm si omnes etiam possibiles virtutum actus fuissent oblati.

CXXXI. Quartò illi significet, quod Rodriquez. p. 2. tr. 8. c. 13. bene advertit, nempe non solum progredi, sed etiam non cadere in peccata mortalia sat magnum fructum esse; cùm non sit minoris æstima-
 manda medicina præservans, quàm sanans. Unde Patres Tridentini s. 13. c. 2. hoc Sacramentum Antidotum nominarunt, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur. Non itaque demittat animum, nec communionem omit-
 tat; si enim toties communicans cespitat, meritò, si omnino abstineret, timendum foret, ne sæpius & gravius prolaberetur.

CXXXI. Quintò denique ei alium adhuc fructum non minùs optandum ostendat, nempe quòd, quò se in arctiorem cum Christo in Eucharistia consuetudi-

H

neat

nem insinuat, tantò meliùs eum cognitura, imper-
 siusque cultura sit, ut vel in beatis mentibus vide-
 est; & in Samaritana Muliere, quæ, uti c. 4, ap-
 D. Joannem legere est, quò diutiùs cum Christo con-
 versata est, tantò clariorem illius notitiam sortita est,
 nam ab initio Judæum quasi unum de plebe nomi-
 navit, mox Dominum, postea Prophetam, & tan-
 dem omninò ut Messiam agnovit, & venerata est.
 Idem ergo Sacramenta frequentantibus usuvenit,
 prorsus una communio ad alteram sit dispositio.

§. VIII.

*Tentatio VIII. ob desiderium com-
 munionis.*

CXXXII. **A** Nastasia Virgo cùm à priori Confes-
 sario plenam aliquoties in hebdomada
 de communicandi facultatem accepisset, à postea
 verò non nisi semel communicare permessa fuisse
 graviter ea de causa tentatur, & hanc tentationem
 suam secundario Confessario aperit. Quæritur, quomodo
 huic tentationi sit occurrendum?

Responsio.

CXXXIII. Inprimis illi ostendat, quòd omittendo
 communionem ex obedientia non modò non
 perdat de fructu, quem ex ea sperabat, sed potius
 cretur, nam cùm DEUS voluntatem pro opere
 putet, quando ipsum opus ob legitimum impedimen-
 tum præstari non potest, æqualem ipsi gratiam (scilicet
 tem ex opere operantis) conferet, ac si actu com-
 municasset, sicque suo modo implebitur illud, Mat-
 6. B.

6. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam (& SS. Eucharistiam) quoniam ipsi saturabuntur. Deinde etiam habet obedientiae Confessario praestitae meritum, quod pariter non est exiguum. Hinc Christus S. Gertrudi communionem, quam valde desiderarat, consilio Matris spiritualis omittenti dicebat. Quia deliberasti me omittere purè propter me, ego in gremio meo confovebo te. Certè S. Terefia, uti in vita l. 4. c. 12. legitur, etsi quotidie aliqui communicare sit solita, libenter tamen, & sine ulla tristitia omittebat, si Confessarius vetabat.

CXXXIV. Secundò eidem significet, quod S. Mechtildi, teste Blosio Monil. c. 6. contigit, dum scilicet ipsi ob morbum à communione impedita, & propterea valde ingemiscienti visus est Christus de throno surgere, & dicere: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam: & mox surgente eo, omnes etiam Sancti surrexerunt, offerentes DEO in consolationem infirmæ, & laudem DEI æternam obsequium, quod in terris DEO praestiterant, & ea, quæ pro illo passi fuerant. Ipse verò Christus eidem dixit: Quando post me ingemiscis, tu me tibi intrahis. Ecce quantumcunque res aliqua vilis sit, & abjecta, ut est festuca, homo eam solâ voluntate non acquirit, me verò quilibet gemitu unico habere potest.

CXXXV. Tertiò illi ostendat, quòd per spiritualem communionem supplere possit id, quod per corporalem facere non potest. Certè B. Joanna de Cruce affirmabat, teste Paulo Barri in solit. med. 2. die 10. se in spirituali communionem iisdem gratijs cumulari solitam esse, quibus in reali communionem fruebatur.

batur. Et suspirans, ô præclaram, aiebat, commu-
candi Methodum, in qua neque Confessario, nec
Superioris facultate, nec ullius alloquio opus
præterquam tuo, ô DEUS meus! Hinc DEUS
rarò etiam evidenti miraculo id ipsum confirman-
dum tali desiderio inflammatis veram particulam
inseruit. Sic Dauroltius c. 5. tit. 18. ex. 2. de S. C.
tharina Senensi testatur, quòd, cum ob morbum
communicare non posset, ingenti tamen illius deside-
re teneretur, Raymundus ejus Confessarius tunc la-
ficans adverterit, sibi particulam de hostia fuisse
latam, quam cum diu frustra quævisset, &
hanc causam multùm tristaretur, illa tandem in co-
quo mox secuto facta est, sibi à Christo obla-
esse.

§. IX.

*Tentatio IX. Conjugum propter com-
munionem.*

CXXXVI. **I**uliana pijsima, & venerabilis
Sacramenti cultui præsertim addictissima
Matrona Maritum habens carnalium voluptatum
Ætorem cupidissimum, & parùm devotum, qui
tur Confessario, debitum à Marito ordinariè ijs ne-
bus, quæ communionem peragendam præcedunt,
ipsa exigi; unde fiat, ut vel communionem ipsa
no omittere, vel certè cum remorsu conscientie
peragere cogatur, eò quòd in concione quadam
diverit, eos, qui in veteri testamento olim propo-
nis panes comedere volebant, à conjugij usu absti-
prius debuisse, atque adeò multò magis à perceptu
panem hunc Angelicum abstinenciam talè requiri per-

Quæritur, quomodo Confessarius contra hanc tentationem armare ipsam debeat?

Responsio.

CXXXVII. Primò illi significet, quid in hac re expertissimus & illuminatissimus Magister Spiritualis S. Franciscus Salesius p. 2. Introd. c. 20. hoc in negotio consuluerit his verbis: Pro conjugibus hîc aliquid addam oportet: In veteri lege vetuerat DEUS, ne creditores festis diebus debitum à Creditoribus suis expacerent; at non damnabat, si debitores ijs diebus, quæ debebant, exigentibus solverent. Simili modo indecens quidem est, matrimoniale debitum eâ die exigere, quâ quis sacram aditurus est communionem; at indecens non est, imò meritorium, ipsum reddere.

CXXXVIII. Secundò eidem in memoriam revocet, quid Samuel olim 1. Reg. 15. dixerit: *Melior est obedientia, quàm victima: Et auscultare magis, quàm offerre, adipem arietum.* Suppleat ergo & ipsa per internam reverentiam Obedientiæ, quod externæ reverentiæ per corporis munditiem exhibendæ deesse advertit.

CXXXIX. Tertiò eidem ostendat, sicut alia consilia sub peccato non obligant; ita neque hoc obligare, atque adeò tantò faciliùs negligi posse, quanto honestior causa illud non sequendi prætenditur; qualis causa utique est beneplacitum & honor, quæ ex Communionem frequenti DEO, & maxima utilitas, quæ ipsi percipienti inde exoritur. Unde rectè concludit citatus S. Franciscus Salesius: Non ergo ob debiti ipsius redditionem communionem quis privandus est, si alioqui devotio

H 3

ad

ad ipsam adeundam feratur. Certè in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, esto esse conjugati, & prolibus operam darent. Sed & hodie plurimi sacerdotes quotidie celebrant, licet dubium non sit, quin aliqui eorum nocturnas interdum illationes patiantur.

§. X.

Tentatio X. ob compressionem sub communionem.

CXL. **C**Unegundis illustris Matrona adverte quanta plerumque in solemniorebus potè Fectis fit compressio Populi ad communionem accedentis, graviter se non rarò tentari, atque ad indignationem commoveri, queritur, unde omnis potè devotio turbetur, & fructus communionis minuat. Queritur, quomodo huic tentationi occurrere debeat Confessarius?

Responsio.

CXLI. Inprimis illi suadeat, ut, quandoquidem rudior plerumque populus ejusmodi compressionem excitat, in aliquo loco quietam se contineat, donec major pars hujus Populi refecta sit; sic enim sine incommodo eam quoque accedere posse. Neque difficile aut molestam ei diuturniorem moram accidere; potius gratulari sibi debere, quòd meliorem habet occasionem, perfectius se ad communionem disponendi, sicque copiosiore quoque gratiam reportandi, cum juxta mensuram dispositionis ipsa gratia in communionem conferatur.

CXLI

CXLII. Secundò eidem ostendat, quàm libenter pauperes & famelici per plures horas expectarent, si scirent, se post hoc tempus ad mensam magni Domini admittendos, & non refectionem tantùm optimam, sed etiam copiosa munera reportaturos esse; quàm parùm adedò illi molesta accidere debeat mora unius semihoræ ut non modò ad convivium pinguißimum & panem Angelorum gustandum admitti, sed etiam copiosam gratiam & virtutes, pignusque gloriæ æternæ accipere possit.

CXLIII. Tertiò eidem suadeat, ut, quemadmodum non paucæ devotæ personæ faciunt pridie vel postridie eandem communionem peragat, nisi festum aut dies ejusmodi sit, qui communionem determinato die præscribat; sic enim majori quiete communionem obibit, & tamen finem, quem per illam sibi præfixit, scilicet cultum & honorem Sancti obtinebit, cum perinde sit Sanctis, quocunque die colantur, & invocentur, maximè si legitimum impedimentum advertant intercessisse, quò minùs ipso eorum die Festo peragi poterit communio.

CXLIV. Quartò illi insinuet, quòd, sicut olim apud Longobardos Regis Filius non priùs ad mensam paternam admittebatur, quàm in bello alteri Regi servijisset, ita & hîc optima ad mensam divinam dignè frequentandam dispositio sit generosa victoria suorum hostium, & sui maximè, quo teste Thoma Kemp. non pejor est hostis; hinc Apoc. 2. dictum: *Vincenti dabo manna absconditum*, quale utique præ alijs est S. Eucharistia; cum ergo in tali compressione, hoc ipso quòd gravis valdè ipsi ob varias causas accadat,

optimam habeat occasionem, semetipsam vincere
facile colligere poterit, quàm non modò non hominem
illam, sed potiùs de ea gratulari, atque adeò magis
etiam patientiâ & æquanimitate supportare debeat.

CAPUT IV.

DE TENTATIONIBUS CIRCA CONCIONES
OCCURRERE SOLITIS.

§. I.

*Tentatio I. ob defectum occasionis ad
conciones audiendas.*

CXLV. **A** Nastasia Ancilla queritur Confessario
adeò laboribus & negotijs domesticis
cupari, ut nunquã diebus festis concionem audire
sit, indeque fieri, ut & in spiritualibus doctrinâ
animæ Instructionem pertinentibus planè rudis
maneat, & nullo unquam solatio ex concionibus
cipi solito fruatur, id quod non modicè eam affligit.
Queritur, quomodo Confessarius eam solari debeat.

CXLVI. Primò eidem suadeat, ut B. Aloysij
cietate JESU, exemplum sequatur, qui, cum nimis
in se librorum legendorum desiderium in se sentiret
tempus huic lectioni sufficiens se non habere ad-
teret, sic seipsum est allocutus: Dic mihi, Aloysi,
quam causam tantopere huic lectioni inhias? an
ut exciteris ad majorem perfectionem sectandam,
majorem abnegationem procurandam, ad obedien-
tiam perfectius exercendam? & quid si lectione
de hac materia finijsses, acturus esses? an non opor-
tes occasionem tibi offerri hæc omnia præstandi?

vincens
on homi
led mag
debeat
CIONE
is ad
fessario
neftic
audire
octrini
rudis p
nibus p
um affl
ari debe
loyfij
um nini
sentire
ere ad
Aloyfij
s? an
ndam
obedi
lectione
non op
tandi
oc

occasionem talem avidè amplecti statueres? ecce
jam nunc habes talem occasionem, amplectere ergo
serventer, & exequere, ad quod per lectionem pri-
mum excitari deberes. Simili ergo modo & ipsa se
alloquatur, & haud dubiè temperatum suum deside-
rium concionis audiendæ cum B. Aloysio experie-
tur.

CXLVII. Secundò eidem ostendat, quòd tota per-
fectio hominis Christiani in charitate, plenàque volun-
tatis suæ cum divina conformatione consistat, atque
adèd nihil alio fine desiderare debeamus, quàm quia
DEUS id vult, & desiderat à nobis fieri. Cùm ergo
hoc ipso, quòd justo impedimento impediatur ipsa à
concione audienda, clarè colligere possit, DEUM
modò non velle, ut concionem audiat, sed potius
domesticis negotijs ex obedientia invigilet, cur non
libentiùs per hæc divinam voluntatem adimpleat,
finemque suum assequatur, quàm per concionis au-
ditionem propriæ voluntati velificando, ab eodem fine
pessimè aberrer.

CXLVIII. Tertiò eidem ostendat, DEUM cuique
homini sufficientia media providere ad salutem asse-
quendam, sed non eadem omnibus; quare si medium
hoc eidem subtrahat, haud dubiè aliud substituturum,
per quod æquè efficaciter salutem suam consequi pos-
sit, scilicet humilem obedientiam per labores impe-
ratos sedulo susceptos præstandam; cur igitur non
promptè arripiat medium ab ipsa Sapientissima DEI
Providentia electum, & oblatum?

CXLIX. Quartò illi significet, quòd juxta Sa-
lomonem prov. 3. cum simplicibus sit Sermocinatio
ejus, atque adèd per internas inspirationes, modò at-
tende-

H s

rende

tendere velit ipsa, facile supplere possit fructum, quem ex concione negligit. Cur ergo tristetur, si melior Concionatore sit nata? cur non potius dicitur concilio Asceta l. 3. c. 2. *Non loquatur mihi Moyses, aut ex Prophetis (aut Concionatoribus) sed tu potius quere, Domine DEVS, Inspirator & Illuminator omnium Prophetarum, quia tu solus sine eis potes me profectè imbuerè; illi autem sine te nihil proficiunt. Illi sunt quidem verba sonare, sed Spiritum non conferunt; pulchrè dicunt, sed, te tacente, cor non accendunt. Vanè ostendunt sed tu confortas ad ambulandum: illi faciunt, sed tu corda instruis, & illuminas. Illi extenuant, sed tu fecunditatem donas. Illi clamant verbum, sed tu auditui intelligentiam tribuis. Sic sanè fieri poterit, ut impleatur, quod idem Author l. 3. c. 4. Persona Christi dixit: Ego sum, qui humilem in parvitate elevo mentem, ut plures aeterna veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis studuisset in scholis.*

Quintò illi significet, quòd hoc ipsum desiderium audiendi verbi divini, sit bonum signum, quòd multum profecerit in virtute, ut S. Chrysostomus hoc. 3. c. 3. sequentibus verbis ostendit: *Argumentum mihi est hoc vestri in divinis protectus, quòd tantà promptitudine quotidie convenitis, & spirituali doctrinà expletis non potestis; nam quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bonae valetudinis, ita desiderium spiritualis doctrinæ manifestissimum est argumentum animae bene habentis. Et sicut ignis ceram emollit, & tractabilem facit, atque ad omnium rerum formas recipiendas disponit, ita Spiritus Sanctus habitans in homine disponit ipsum ad recipiendum verbum Dei, & eique obediendum.*

§. II.

Tentatio II. ob eorum, quæ in concione audita sunt, oblivionem.

CL. **C**Lara simplex mulier quovis quidem die Festo unam, non rarò etiam binas audit conciones; sed quia, postquam domum redijt, & alijs doctrinas in concione auditas communicare voluit, nullius meminisse potuit, vehementer angitur, & angustiam cum magno dolore Confessario detegit, & solatium petit. Quæritur, quomodo hoc præstandum sit?

Responsio.

CLI. Primò illi ostendat, etiamsi statim post concionem non possit recordari dictorum, non tamen hoc signum esse, quòd omnia exciderint, cùm, uti frequens experientia docet, varijs modis eorum memoria refricari possit, id quod senex quidem appposito facto, ostendit Discipulo suo similiter, quòd adhortationum ab ipso frequenter factarum non meminisset, conquerenti, dum cribrum afferre, & aquam infundere in eam iussit; cùmque Discipulus interrogatus, an omnis aqua effluxisset? respondisset, potior rem quidem partem effluxisse, sed tamen aliquot hinc inde guttas hæsisse, subiecit Senex: simili modo, Fili, res se cum meis adhortationibus habet, quas tu quidem omnes è memoria lapsas putas, sed si meliùs rem consideras, deprehendes clarissimè, guttas quasdam hæsisse; si enim occasio tibi offeratur, propositas doctrinas exercendi, mox apud temetipsum dices: Hoc, ut nuper me Senex meus adhortatus est, tali modo,

modo, vel ob talem causam libenter & sedulo praelibere debeo. Et ecce hæ sunt guttæ, quæ memoriæ adhaerunt. Quare & ipsa Clara hoc sibi applicet, ne omnino de retentione aliquali doctrinarum desperet. Uti sapienter monet Origines ho. 20. dicens. *Solent Medici interdum præbere cibum aliquem interdum etiam potum dare, v. g. ad discutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis, sed cum transierit visum cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc primum sentire incipimus, quod cibis ille vel potus profuit oculis.* Hoc ergo modo creditur etiam de Scriptura Sancta (& Concione) quod utilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster præsens intelligentiam non capit, quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes, quæ nobis adsunt, reficiuntur in ijs temptationibus, & pascuntur, & contraria torpescunt in meditationibus, & fugantur.

CLII. Secundò eidem suadeat, ut consilium Macarij Alexandrini sequatur, ad quem cum Palladius venisset, querens, quòd sub orationis tempore gravissimis tentationibus urgeatur ad eandem veluti parùm convenientem deferendam, S. Macarius ipsi consolans dixit: Si de cætero cogitationes tuæ tibi dixerint, nihil hic facis. Palladi, abi hinc: responde illi. Propter Christum cellæ hujus parietes custodio, quod diceret. Etiamsi alium fructum non referam, per verabò tamen hîc amore Crucifixi Domini mei; quod hic principalis finis hujus exercitij est, ut non nostrum gustum, sed DEI beneplacitum quæramus, & pariter saltem aliquam grandis illius debiti pendamus, quod ipsi pro innumeris beneficijs obstricti sumus.

tota doctrina facile ad præsentem Claræ tentationem applicari poterit, ut consideranti patebit.

CLIII. Tertiò eidem demonstret, non esse desperandum de fructu, etiamsi non statim sequatur, sed sicut olim Monachus quidam, qui ex obedientia arborem aridam sat longo tempore rigârat, denique frugiferam reddidit, ita & ipsam meritò sperare posse, quòd si ex obedientia conciones frequentare perseveraverit, tandem aliquando fertilitatem DEUS & ipsi concessurus, & præcedentem desolationem subsequenti solatio compensaturus sit.

CLIV. Quartò eidem narret, quid Frater quidam Laicus ex Ordine S. Augustini, Joannes nomine, dixerit; cum enim Pater quidam ex eodem Ordine per jocum diceret: Heus tu, accede, redde rationem villicationis tuæ. Ecce assistis & servis P. Antolines (qui tunc Provincialis erat) homini doctissimo quindecim annis, & ejus lectiones quotidie audis, & tamen, cum alij illius Discipuli intra triennium doctissimi evadant, tu nihil proficis, quid respondebis Christo vivos & mortuos judicaturus? cui Joannes: Si mihi Dominus JESUS talia dixerit, paucis me expediam; dicam enim: Quo modo à me rationem exigere potes de ea re, quam mihi negasti? si volebas me evadere in virum doctum. cur me creasti tam stupidum & barbarum? Hæc est ratio villicationis meæ. Homines & jumenta salvabis Domine. Homines, quia P. Antolines, P. Mendozam, & alios: Jumenta, quia Joannem, & alios Laicos illi similes. Respexerunt omnes Mendozam, & ille inexpectatâ responsione perculsus, hæsit, quid diceret, tandem ad adstantes, per DEUM, inquit, non scio replicare; nec occurrit, quid ipse etiam Chri-

Christus tali responso opponere possit. Joannes enim intentum. Simili ergo modo horretur, ut ipsa etiam Clara soletur; sic enim tentationem hanc omnes suae vires amissuram.

§. III.

Tentatio III. ob ineptitudinem concionis.

CLV. **B**lasius vir Nobilis & Doctus magni quidem verbum divinum faciebat, sed quia Parochus sui, hominis non admodum docti & facundi Conciones ei tum ob simplicitatem, tum ob alia vitia valde displicebant, statuit tandem, tamdiu non frequentare concionem, donec alius Concionator substitueretur, quod ipsum tamen suum decretum Patri suo Spirituali aperuit, & num ipse quoque id approbaret, quaesivit. Quæritur, quid eidem respondendum sit?

CLVI. Primò cum talium hominum præsentia in concionibus plerumque valde ad ædificationem publicam serviat, omnino ei suadendum esse, ut vel hoc titulo concionem frequentet, magnūque operam peritium fecisse se arbitretur, si suo exemplo alios ad conciones audiendas impellat, & fructus ex illis referent se quoque participem efficiat.

CLVII. Secundò eidem ostendat, quanto magis semper DEO placuerit, & etiamnum placeat humilitas, quā quis se alteri propter DEUM subicit, & proponit; quā præclaram proinde habeat ipse occasio heroicū, actum humilitatis exercendi, iudicium se ipsum abnegans, Hominem, ut ipse arbitratur, parum doctum.

doctum, doctior forsan ipse patienter audiat, & ab eo in rebus sacris instrui se finat.

CLVIII. Tertiò eidem in memoriam revocet, quàm frequenter contigerit, ut aliqui per unicam sententiam in concione auditam quandoque fuerint conversi, atque ad summam vitæ sanctitatem pervenerint, etsi eo tempore id minimè speraverint; quàmque adeò & ipse libenter concionem etiam indocti hominis audire debeat, cum nesciat, an non DEUS illum tanquam instrumentum elegerit, quo uti velit, ad ipsum efficaciter convertendum, atque ad magnum sanctitatis gradum perducendum.

CLIX. Quartò pariter illi demonstret, quàm heroicarum virtutum exercendarum occasionem ipsi DEUS offerat, per ejusmodi concionum auditionem, nempe humilitatis, abnegationis, victoriæ sui, patientiæ, charitatis proximi per ædificationem, & exemplum bonum exercitæ, & similia, quæ omnes sanè suadent, optimè collocatum esse illud tempus auditæ concionis, etiamsi nullum alium doctrinæ fructum referret.

§. IV.

Tentatio IV. ob malam vitam Concionatoris.

CLX. **A** Charius Civis fatetur quidem optimas esse, utilissimásque Conciones, quas Parochus suus ad populum instituit, sed ab ijs neutiquam se permoveri, eò quòd dictus Parochus ea, quæ dicit, ipse non observeat, sed pessimam, & scandalosam vitam ducat. Itaque pariter statuit, omnino à concionibus abstinere.

stinere, ne verbum auditum, & non factum sibi
damnationem potius, quam salutem cedat. Quæritur
quomodo hæc illi tentatio sit eripienda?

Responsio.

CLXI. Primò illi in memoriam revocet, quod
Christus Matt. 23. Apostolis dixerit: *Super Cathedram
Moysis sederunt scribæ & Pharisei. Omnia ergo
quæcunque dixerint vobis servate, & facite; secundum
opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.* Eadem ergo verba & sibi applicare jubeat Con-
fessarius Achatium, atque adeò non tam ad vitam
quam doctrinam Parochi attendere.

CLXII. Secundò eidem ostendat, quotidiano
emplo, quam imprudenter agat, ob malam vitam Con-
cionatoris concionem negligendo; an non enim quo-
tidie cibum sumit, non examinando, an bonam vel
vitam Coquus aut Coqua ducat? an si à magno Pro-
cipe ad Convivium invitaretur, venire, aut cibos
mere ex eo capite recusaret, quòd Coquum flagiti-
um haberet? quantò minùs ergo ad Convivium
bi divini ab ipso D E O invitatus recusare debet
gratiam ob vitam Concionatoris non admodum
factivam.

CLXIII. Tertiò eundem quærat, an si gravi
quo & periculoso morbo laboraret, & nullum ali-
um medicum, nisi flagitiosum, suæ tamè artis peritissimum
haberet, eundem propterea recusare veller, quòd
tam non duceret bonam? cùmque haud dubiè ne-
geret, se eum recusaturum, hortetur ipsum, ut seipsum
melius introspiciat consideretque, quam multis
huc & gravibus animæ morbis ipse subiectus sit, quia

que adeò parùm horrere debeat conciones scelerati Prædicatoris, si quidem efficaciter curari velit.

CLXIV. Quartò ipsum hortetur, ut Concionatorem tanquam legatum à DEO ad se missum, & voluntatis divinæ Interpretem intueatur, atque adeò, sicut ij, quibus aliquid à Rege per Interpretem imperatur, non ad vitam Interpretis, sed solam rei imperatæ substantiam attendunt; ita pari ratione & ipse non quærat, quis hoc dixerit, sed quid dicatur, attendat, cum Verbum divinum tantæ sit authoritatis & dignitatis, ut, per quemcunque manifestetur, parè semper reverentiâ & aviditate sit audiendum, atque implendum.

§. V.

Tentatio V. ob longitudinem, & repetitionem concionis.

CLXV. **A** Lipius honestus civis fatetur, se libenter quidem audire Verbum DEI, sed tamen duo plerumque sibi permolesta accidere in concionibus, nempe quòd & nimis diu frequenter protrahantur, & sæpe eadem doctrinæ repetantur; hinc enim fieri, ut, sicut de cibis testatur Salomon, quòd anima saturata calcabit favum, ita & ipsi satietas Verbi Divini fastidium pariat. Quæritur itaque, quomodo hæc ei tentatio sit eripienda?

Responsio.

CLXVI. Primò illi ostendat, negari quidem non posse, vitium non leve quorundam Concionatorum esse, quòd conciones nimis protrahant, cum potius observare deberent saluberrimam S. Thomæ Aquina-

tis sententiam in c. 13. Hebr. illa verba : *Perparavi scripsi vobis : ubi sic ait : Sermones breves valde accepti sunt ; quia , si sunt boni , avidius audiuntur : si vero mali , parum gravant , nihilominus tamen sic* Convivæ in Hospite suo ob beneficentiam & liberalitatem , quam ipsis exhibet , facile dissimulant levis defectum , si quem fortè in ipso advertunt , ita cum majorem longè liberalitatem & charitatem erga auditores suos ostendat Concionator , cum tam pretiosum illis Verbi Divini convivium appararit , merito quoque tam levis defectus tantò majori cum patientia est supportandus , & dissimulandus , quando clarius cognoscitur , eum non ex perversa voluntate sed ferventissimo potiùs Zelo proficisci , atque adeo graviter culpari , aut ægrè ferri non debere.

CLXVII. Secundò eidem ostendat , quot hinc frequenter ab ipso & alijs in Convivijs , quibus corpora reficiuntur , participandis insumentur , nec tamen ullus facile deprehendatur , qui de protractione tantalis convivij queratur ; quàm indignum proinde & absurdum sit , in convivio spirituali Verbi Divini , quo anima reficitur , conqueri , quòd unico fortè vel aliquo quadrante ultra consuetum tempus protrahatur. Quid enim aliud argui ex tali querela potest , nisi quòd animæ salus minoris , quàm incolumitas corporis æstimeretur , quod sine dubio bonum & prudentem Christianum non decet.

CLXVIII. Tertiò eidem ostendat , quid circa petitionem ejusdem materiæ S. Paulus Phil. 3. dicat. *De cætero , Fratres mei , gaudete in Domino semper eadem vobis scribere , mihi quidem pigrum , vobis autem necessarium ; quia , ut rectè quidam dixit , prius*

Perpau-
valde e-
ntur: si-
amen sic
& libera-
ant levi-
, ita cu-
a erga ho-
ram po-
arit, me-
i cum p-
e, quan-
volunt-
tque ad-
.
uot ho-
ibus co-
nec tam-
one nim-
oin & al-
ivini, q-
è vel ab-
trahat-
st, in-
mitas co-
z pruden-

tervolat Intellectus, & sequitur nullus, aut rarus af-
fectus. Hinc idem Apostolus 2. Tim. 4. Timotheum
monet: *Pradica Verbum, instā opportune, importu-
ne; argue, obsecra, increpa in omni patientia & do-
ctrina; erit enim tempus cum sanam doctrinam non sus-
sinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Ma-
gistros prurientes auribus, id est, novas semper, &
curiosas materias ad beneplacitum Auditorum propo-
nentes.*

CLXIX. Quartò eidem ostendat, Verbum DEI
medicinæ aut emplastro simile esse, quæ non primâ
statim vice morbum tollunt, aut vulnera curant, sed
sæpius applicanda sunt. Sed & cibus semel duntaxat
sumptus non conservat vitam; hinc quotidie offam,
carnem, olus &c. comedimus, nec tamen fastidium
concepimus, imò frequenter hos omnibus alijs præ-
ferimus. Hinc Monachus quidam, quâ arte tam
pinguis effectus esset? respondit per hoc se istam pin-
guedinem obtinuisse, quòd uno quidem die come-
derit pisa & olera, alio olera & pisa, tertio pisa cum
oleribus, quarto olera cum pisas, innuere volens, se
ejusdem speciei cibos plerumque sumpsisse, eosque
pius sibi, quàm diversitatem ciborum profuisse. Ne
ergo ægrè ferat & ipse Alipius, si eadem doctrinæ
sæpius repetantur, ut, quod primâ vice efficere
non potuerunt, secundâ aut ter-
tiâ efficiant.



P A R S III.

DE TENTATIONIBUS
CIRCA VITIA OCCUR-
RENTIBUS.

I. **E**T si innumera sint vitia, ad quæ committendi homines impelli possint, non tamen opus est ut pro singulis singularia remedia & arma præscribantur, tum quia ingens ad hoc volumen requireretur tum quia ex ijs, quæ de tentationibus circa capitalia aliæque notiora vitia hoc loco dicentur, facile patet, quomodo tentationibus circa alia etiam vitia occurrentibus sit obviandum.

CAPUT I.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
SUPERBIAM.

II. **S**icut varij sunt fontes, ex quibus oriri potest superbia, ita diversa quoque sunt arma necessaria quibus repelli debeant hostes ad superbiam incitantes, quæ proin per distinctos §§. rectius proponuntur.

§. I.

Tentatio I. Circa Scientiam.

III. **V**alentinus homo doctissimus, & in omnibus scientiarum genere versatissimus gravissimè tentari fatetur, tum ad alios præ se vilipendendum tum ad varios honores & dignitates ob talem scientiam

tiam ambiendos, & prensandos. Quæritur, quomodo contra has tentationes armari debeat?

Responsio.

IV. Primò illi bene inculcet sequentem S. Pauli 1. ad Cor. 13. *Si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quod ipsum pulchrè confirmans S. Augustinus in Confess. *Infelix*, inquit, *homo, qui scit illa omnia, te verò nescit: beatus verò, qui te scit, etiamsi illa omnia nesciat: qui verò te & illa novit, non propter illa, sed propter te solum, beatus est.* Si ergo omnis, & quidem perfectissima scientia digna non est, ut propter illam vel minimum gloriemur, quis nisi insanus propter minimam particulam scientiæ, & quidem majori ex parte incertiæ, & divinatoriæ duntaxat, gloriari præsumet? an non verè illud Poëtæ hîc locum habebit: *Si totum nihil est, quàm nihil est minimum!*

V. Secundò eum perpendere jubeat, quid sit scientia, nempe lumen intellectûs, de quo S. Jacobus c. 1. locutus est dicens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum?* quis autem non stultum diceret populum illum, qui gloriaretur, aut alteri se præferret, quòd solem plùs, aut diutiùs sibi, quàm alijs lucentem haberet? aut casam rusticanam rimas undique agentem, illustriorem diceret, digniorémque, eò quòd propter easdem rimas plùs lucis, quàm aula regia admitteret? atqui idem faceret, qui propter lumen scientiæ à DEO sibi communicatum se efferret, & alijs meliorem judicaret.

VI. Tertiò illi ostendat, quòd scientia sit Instrumentum ipsi à DEO datum, quo suam & aliorum salutem procuret; sicut ergo non ille opifex laudatur aut magni æstimatur, qui bona aut argento ornamenta habet, sed qui iisdem benè uti novit ad opera artis suæ facienda; ita nec ille magni facendus est, qui magnam & variam scientiam habet, qui eandem adhibet ad finem, propter quem illi data est, consequendum. Hinc meritò pius Ascensius I. de imit. c. 2. dixit; *Noli extolli de ulla arte scientia, sed potius time de data tibi notitia. Quia plus es melius scis, tantò gravius inde judicaberis nisi sanctius vixeris.*

VII. Quartò illi demonstrat, quòd scientia sit doctrina, quam velut cibum animæ nostræ offeramus, sicque eam in perfectione & virtutibus crescere faciamus; quis autem non insipiens diceretur, si gloriarietur, se penum optimis, delicatissimis, rarissimisque cibis instructam habere, & tamen nunquam eum gustaret, sicque famelicus & macilentus maneret? Pulchrè sanè & accommodatè hanc stultitiam Joannes Ximemus Coadjutor è Societate JESU Visitatori, aliisque doctissimis viris declaravit, dum in villa, ad quam recreationis causâ secesserant, cœtionati super mensam jussus, inter alia sic peroravit. Cum nuper in agro ambularem, occurrit mihi curvus hordeo oneratus, quem duo muli in speciem beatissimis robusti trahebant, sed in luto ita hæsitabant, ut progredi amplius non potuerint, donec me sociique juvantibus, & Auriga impellente emergerunt. Quod facto cum ego interrogarem, cur Muli tam grande currum extrahere è luto non potuerint? respondit Auriga

Auriga, causam esse, quòd macilenti nimis, & debiles sint; cùmque ego iterum subijcerem, cur adeò macri sint, cùm tamen currum integrum hordeo onustum vehant? respondit ille, vehere quidem illos hordeum, sed non propterea hoc illis in pabulum offerri. Hoc responso audito, occurrit mihi, quòd idem etiam aliquibus viris doctissimis eveniat, utpote qui & ipsi caput plurimis saluberrimis doctrinis refectum circumferunt, sed tamen interea in spiritu macilenti existunt, quia doctrinas tales non applicant sibi. Quæ quidem omnia cum tanta Spiritûs vehementia dixit, ut similitudo, quæ ab initio videbatur ridicula, post applicationem factam fletum excitârit.

§. II.

Tentatio II. ob Eloquentiam.

VIII. **C**hrystostomus Orator eloquentissimus, dum passim Populum ad audiendum Verbum Divinum ad se confluere advertit, & præterea conciones suas tum voce prolatas, tum typo commissas, mirè ubique deprædicari audit, non mediocres inde stimulos sentit, ad altiùs de se sentiendum, vanæque sibi in tanta laude & gloria complacendum. Quæritur, quomodo hos stimulos reprimere possit, ac debeat?

Responsio.

IX. Primò sibi in memoriam revocet saluberrimam simul, & verissimam S. Pauli I. Cor. 3. sententiam: *Ego plantavi, Apollo rigavit, DEVS autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEVS.*

Cum ergo labores proximi causâ suscepti nihil sint, quàm plantatio & rigatio, hæ autem ex se nihil sint, id est, nihil efficere queant, nisi DEUS gratiam efficacem conferat audientibus ad executionem mandandam doctrinam in concione acceptam, facile apparet, nullum Concionatorem, etsi esset omnium hominum facundissimus, ullam habere superbiam, sèquæ super alios extollendi causam.

X. Secundò aliam quoque ejusdem D. Apostoli non minùs salubrem, veràmque sententiam 1. Cor. 13. prolatam in memoriam revocet: *Si linguam non habeam, factus sum velut æsonans, & cymbalum sonans.* In qua sententia duo offert media ad reprehendum superbiam stimulum non parùm idoneum. Quorum primum est, quòd, sicut sonus tubæ & cymbali non ipsis, utpote quæ ex se sonum edere non possunt, sed instanti, aut moventi adscribendus est, & verba, quæ Concionator profert, non ipsi, sed puro instrumento, sed DEO tanquam principali causæ adscribi, atque adeò illud Davidis ps. 113. utique debeat: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Alterum est, quòd sicut Cymbalum, dum ad elevationem pulsatur, omnes autem præsentibus ad pectus pulsandum, & varios virtutum actus eliciendos movet, nec tamen quisquam propterea illud laude dignum judicat, ita nec Concionator fructum, quem facit suis concionibus, sibi adscribere debeat, ut qui excitet duntaxat Audientem ad varios actus virtutum.

XI. Tertiò eidem narret, quid S. Dorotheus Discipulo suo Dositheo querenti, quòd perpetuò incitetur

ad vanam gloriam ex officio Infirmarij tam bene administrato capiendam, responderit, admonens, ut, ubi se à tali tentatione titillari adverterit, mox sibi dicat: Mi Dosithee, tu quidem bonus es Infirmarius, non tamen propterea bonus Religiosus. Idem ergo & sibi dicat Concionator, & facile omnem vanæ gloriæ impetum reprimet. *Certè adveniente die judicij, non quaeretur à nobis, quid legimus, sed quid fecimus: nec quàm bene diximus, sed quàm religiosè viximus,* inquit rectè Thomas Kemp, l. 1. c. 3.

XII. Quarta ostendat illi, quòd, etiamsi ab omnibus hominibus, qui fuerunt, sunt, & erunt, plenis buccis summè deprædicaretur, nec hilo tamen melior esset, quàm quivis minimus Rusticus aut Mendicus, qui omni ejusmodi laude caret; cùm, teste David ps. 44. Omnis gloria Filix Regis ab intus sit; omnis autem Eloquentia, aliæque similia dona extrinseca, id est, nullam per se bonitatem conducentem ad finem supernaturalem habentia sint, atque adeò nec laudem propriè aut æstimationem habeant, nisi per intentionem bonam ad finem supernaturalem ordinentur, sicque & ipsa bonitatem ab ipso accipiant.

§. III.

Tentatio III. ob pulchritudinem Corporis.

XIII. **S**usanna Nobilis Domicella eximiâ corporis pulchritudine prædita, advertens, formæ suæ elegantiam raram non tantùm passim ab omnibus deprædicari, sed ob eandem etiam se à quamplurimis in conjugem expeti, confitetur, se sæpius gravissimas superbix tentationes hac de causa passam fuisse, &

I §

etiam-

etiamnum pati. Quæritur, quomodo contra tentationes sit armanda?

Responsio.

XIV. Primò jubeat eam considerare, quid sit nec g
pus illud pulchrum, quod tantopere laudatur, & quam
matur, quid item fuerit, & futurum sit, nimirum
ste S. Bernardo, fuerit olim sperma foetidum, de
cto sit vas stercoreum (seu ut alij dixerunt, simum
ve coopertus) & futurum sit esca vermium; an
tem æquum & rationale sit, de ullo ex his
objectis gloriari, & superbire. Id quod sapienter
dam Rex aliquis suis Aulicis declaravit, dum,
Jacobus Bidermannus testatur, vas testaceum
de foetidissimo stercore repleti, & supra illud statu
Virginis elegantissimè vestitæ collocari jussit;
de verò præsentibus Aulicis, quid de ea quisque
tires, edicere præcepit; cùmque omnes illam
laudibus extollerent, nec satiari ejus aspectu possent,
tandem vestes removeri, & latentem sub illis cloac
ostendi voluit, simulque dixit: Ecce, hoc est
cherrimum illud objectum, quod tantopere depre
câstis, & admirati fuistis. Certè hæc consideratio
efficax est, ut Matrona quædam ob pulchritudine
suam multum superbiens mox omnem fastum depo
suerit, ubi inter lavandas manus verba ista: Hæc
nus erunt olim esca vermium: perpendit, ut à
fessario jussa fuerat. Sed & Monachus quidam
fano mulieris cujusdam formosæ conspectæ amore
census, facillè hunc extinxit, ubi ad mortuæ cadaver
cessit, illudque tantopere deformatum vidit.

XV. Secundò eum considerare jubeat, quid
pulchrum

contra pulchritudo, de qua gloriatur; nempe cutis, color, figura, sanguis; quis autem horum ullum gloriâ, & speciali laude dignum putet; unde meritò Domitianus Imperator amico cuiusdam scribens, scias, inquit, quid sit nec gratius quidquam decore, nec brevius esse; datur, & quamvis, etiam si durabile, perpetuumque hoc naturæ donum esset, non intelligo, quòd tantopere expectandum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, sed, sicuti in superficie tenus fulgens decor, multaque fœda; an contegens, & horrenda, lævissimaque cutis obtentu ex his tribus blandiens, & illudens. Sed & Aristoteles, inter quos teste Boet. l. 3. de consol. dixit, si homines lynceis oculis uterentur, & obstantia visu penetrarent, nonne cum introspicere visceribus illud Alcibiadis pulcherrimum corpus, turpissimum videbitur? igitur te pulchrum non fieri; sed videri, non tua natura, sed oculorum spectantium redituque dicit infirmitas.

XVI. Tertio ostendat illi, quàm non solum vana, sed & noxia proximo sit pulchritudo, ut jam olim Salomon Eccl. 5. indicavit dicens: *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit; ita ut non immeritò aliqui faciem mulieris vultu Basilisci venenatiorem dicere ausi sint, nam Basiliscus non necat, si ipse videatur, sed tantum si ipse alios aspiciat, mulieris autem facies etiam ab alio conspecta interitum affert.* Unde tam sollicitè Salomon Eccles. 9. monet: *Virginem non aspicias, ne fortè scandalizeris in forma illius.* Hæc ipsa damna explicatiùs proponens Petrarcha dial. 2. Habes, inquit (per formam) velum oculis, laqueum pedibus, alis viscum, haud faciliè seu vera discernere, seu virtutem sequi poteris, seu in altum evolare animo; multos ad honesta

sta

ita pergentes forma detinuit, detorsitque contrarium in partem. Habes hostem domi, &, quod peius, delectabilem ac blandum. Habes raptorem quædam ac temporis, perpetuumque tortorem: habes iram laboris, uberrimam discriminum causam, menta libidinum, nec minorem quærendi odij, quæ amoris aditum. an non ergo majorem humiliandam quam superbiendi causam habeat, si advertat, formam suam esse instrumentum, quo DEUS graviter ostendatur, proximo multum noceatur, & propria ipsius salus in manifestum discrimen præcipitetur.

XVII. Quartò eidem ostendat, si hæcenus fecit pulchritudinem corporis, quæ tantorum eorum lorum causa fuit, tantamque ejus conservandam gessit, ut hominibus placeret, eorumque sibi amorem conciliaret, quantò æquius sit, ut ad animæ pulchritudinem, per quam DEO, Angelis, & hominibus placeat, & ingentia sibi bona, eaque æterna procurare queat, procurandam & conservandam omne studium, curamque convertat, ideòque sibi applicet quod olim Diogenes formoso Adolescenti suavitatis cens: Quin operam das, Adolescens, ut corporis vires ad animam transferas. Semper ergo in mentis memoria habeat verissimum Salomonis proverbium: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo; misericors Dominum ipsa laudabitur.*

§. IV.

Tentatio IV. ob divitias.

XVIII. **H**omobonus Mercator, postquam in meras divitias negotiando congregavit, paulatim prioris sui status ac paupertatis obliviscitur.

quibus olim jucundè & familiariter convivere consueverat, præ se despicere incipit. Quæritur, quomodo juvandus, & contra hanc tentationem armandus sit?

Responsio.

XIX. Primò illi demonstret, quàm vanè gloriatur propter tales divitias, utpote quarum non Dominus, sed Administrator duntaxat est, & dispensator, uti patet clarè S. Job. c. 1. insinuavit, dum omnibus divitijs suis ablatis dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Quis autem non rideat, si Quæstor, aut Oeconomus, aut Thesaurarius ob divitias regias suæ curæ concreditas, de quibus severissimam olim rationem reddere debet, supra alios extollere se vellet? cum potius timendi, quàm superbiendi causam habeat, maximè si terribilem S. Jacobi sententiam c. 5. ponderare velit: *Agite, nunc divites, plorate ululantes in miserijs vestris, quæ advenient vobis. Divitia vestra putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum aruginavit, & arugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus; tunc nempe quando dicetur: stulte, hæc novite animam tuam repetent à te, & quæ parasti, cujus erunt? tunc enim verificabitur, quod Eccl. 41. prædicatur: O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!*

XX. Secundò eidem ostendat, quàm manifestò in periculo versetur salutis suæ amittendæ juxta ipsius Servatoris testimonium Matt. 19. dicentis: *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum.*

rum.

rum. Et iterum dico vobis : facilius est , Camerum per foramen acūs transire , quā divitem in regnum cælorum. Quis non exhorreat ad ejusmodi veritatem ab ipso veritatis Authore prolatam ? quis effugiat & superbiat propterea , quod sibi magis , quā via ad felicitatem supremam difficilis sit facta ?

XXI. Tertiò eidem in memoriam revocet non minus horrendam D. Pauli 1. Tim. 6. sententiam : *divites volunt fieri , incidunt in tentationes & laqueos Diaboli , & desideria multa inutilia & nociva , mergunt homines in interitum , & perditionem.* Quis autem gloriatur , se laqueum in collo habere , proximè suspendendus sit ? aut quis non miseretur , qui cat aviculam , quæ in laqueos Aucupis incidit & manifestò vitæ amittendæ periculo ? quantò magis ergo causam gloriandi habebit , qui in laqueum Diaboli , & per hunc etiam in periculum mortis incidisse se advertit.

XXII. Quartò illi saluberrimam S. Hieronymi 12. de Verbis Dom. sententiam proponat sic loquentis : *Quid prodest arca pecunijs plena , si inanis sit scientia ? bona vis habere , & tu bonus esse non vis ? Erubescere debes de bonis tuis , si domus plena bonorum malum habet Dominum.* Quid prodest divitijs plenus , si DEVM , qui omnia dedit , non habet ? Hinc merito S. Bernardus in s. de sex. ait : *Fratres , si divitias amatis , veras divitias amate : Sola divitiae sunt , quæ nos virtutibus divites efficiunt ; de his tamen que Servator ipse Matt. 6. dixit : Thesaurizate vobis thesauros in cælo , ubi neque arugo , neque tinea demittitur , & ubi fures non effodiunt , nec furantur.* Hinc & S. Paulus 1. Tim. 6. Timotheum monens , dicit :

ait, *præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, bene agere, divitiis fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.*

§. V.

Tentatio V. ob Honores & Dignitates.

XXIII. **H**onorius Religiosus in discordia Electorum contra spem omnem & expectationem in Abbatem electus, mox facto suo confirmare incipit commune proverbium, quo dicitur: *Honores mutant mores, sed raro in meliores*; nam & gravitatem extraordinariam assumit, & supercilia ob delatum honorem erigens, subditos suos omnes despiciit: despoticeque tractat. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem armandus sit?

Responsio.

XXIV. Primò illi ostendat, quis sit verus Honor, nimirum ille, qui ex virtute oritur, uti præclare S. Chrysostomus indicavit dicens: *Honor verus virtus animi est; hic honor nec à Caesaribus præstatur, nec adulatione conquiritur, nec pecuniâ preparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti, hujus honoris successor est nullus, nullus accusator, nullus ingratus.* Cui consentiens S. Bernardus in Cant. *Virtus, inquit, Mater gloria est; sola enim est, cui gloria iure debetur, & securè impenditur. Quæ autem est sue virtute gloria, profectò indebitè venit, propere affertur, periculose captatur.* Hinc Romani olim duo
Tem-

Templa, unum Honori, alterum Virtuti ædificabatur, sed ita, ut nulli ad Honoris templum pateret accessus, qui non per virtutis templum transisset, significaretur per hoc volentes, quòd solus ille verus honor censendus sit, qui per virtutem comparatur.

XXV. Secundò eidem ostendat, honorem, illi exhibetur, non propter ipsum, sed propter DEUM, exhiberi, ut aliquando bene Agaso quidam ostendit dum Mulo splendidè ornato, & Ifidis Dæ statorem in publica processione portanti, ac, quòd populum coram se flectentem cerneret, sese erigenti latus perfodit dicens: *Non tibi, sed Ifidi*, scilicet honor exhibetur. Id quod bene agnoscens Carolus Magnus, qui, cùm Saxones, aliique finitimi populi pedes illius prociderent, sèque obsequio illius dederent, illis in brachia acceptis dixit: *Nolo, mihi servire, sed DEO*; ut adeò meritò quivis superior cum Propheta ps. 113. dicere debeat: *Nomen tuum, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*.

XXVI. Tertiò eidem ostendat, non hoc ipsum quòd alios dignitatis altitudine superet, etiam præstimum esse, uti præclarè Seneca in epist. innotuit dicens: *Nemo eorum, quos divitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? cum basi sua illum metiris. Minus pumilio, etsi in monte constiterit: Colossus magnam dinem servabit, etiamsi in puteo constiterit.* Hoc laboramus errore, quòd neminem aestimamus ex exterioribus, Cùm verò velis estimationem hominis inire, & scire qualis sit, nudum inspice, ponat matrimonium, honores, & alia fortuna mendacia, corpus suum exuat, & animum intueri, qualis sit, quantusque, alieno, aut magis

magnus. Christus Luc. 10. Apostolis dixit: *Nolite gaudere, quia Spiritus subiciuntur vobis; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Et iterum Luc. 9. cùm intrâisset cogitatio in eos, quis eorum major esset, apprehendit Puerum, & statuit illum juxta se dicens: *Qui minor est inter vos omnes, hic major est.*

XXVII. Quartò jubeat illum bene considerare horrendam Salomonis Sap. 6. Sententiam: *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet; exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur; fortioribus namque fortior instat cruciatio.* Unde Urbanus VIII. quoties amiculum è subtili tela induebat, alto pectore ingeminans dicebat: *Quis crederet, sub tam levi sindone tantum ponderis delitescere! & Antigonus Rex in Regem adscitus, antequam diadema capiti imponeret, ô nobilem magis, aiebat, quam felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis, & miserijs sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.* Hinc meritò Isidorus l. 3. de summo bono c. 48. dixit: *Omne, quod supereminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet, quanto quisque curis mundi majoribus occupatur, tanto facilius vitijs premittur; si enim vix animus valet peccata devitare quietus, quanto minus occupatione seculari devinctus?*

§. VI.

Tentatio VI. Ob vestium luxum.

XXVIII. **R**osina Nobilis Matrona singularem delectationem sentit in vestibus novis & pretiosis comparandis, ideòque undique congerit media

K

dia

dia ad ejusmodi vestes conficiendas necessaria; quia
men scrupulus ei, & timor peccati quoad hoc factum
injectus est, quærit confessarium, quomodo hæc
parte se gerere debeat, quæritur, quomodo eidem
respondendum sit?

Responsio.

XXIX. Primò illi significer, quantam injuri-
faciat Artifici, qui ornatum adjicit Imagini ab ipso
factæ; majorem verò ipsam facere DEO, dum an-
suæ ad imaginem DEI factæ pretium ab extrinsecis
ornamentis conquirere studet, cui præclare adver-
Boëthius, dum dixit: *Alia quidem suis bonis contenti
sunt, vos autem mente Deo conformes à rebus inferioribus
cellentis natura ornamenta captatis. Nec intelligite
quantam Conditori vestro faciatis injuriam. Ille
humanum terrenis opibus prestare voluit, vos autem
tem vestram infra infima quaque detruditis.*

XXX. Secundò eidem ostendat quòd impossi-
le sit ab extrinsecis istis ornamentis laudari, nam
eodem Boëthio, si quid ex appositis luceat, ipsa
dem, quæ apposita sunt, laudantur; illud verò
etum atque velatum in sua nihilominus sceditate
durat. Adde; quòd hæc ipsa vestium ornamenta
se satis vilia sint, & indigna, ut ex ijs laus & gloria
retur, si origo & substantia prima, ex qua conficiuntur
spectetur, quemadmodum bene germanicus Poeta
dicavit, dum cecinit,

I.

Was ist das gulden Stuck /
Von Gold Zier und Geschmuck?

Gold ist nur rothe Erd /
Die Erd ist nit vil werth.

2.

Was ist das roth Gewand /
Das Purpur wird genannt ?
Von Schnecken auß dem Meer
Kombt aller Purpur her.

3.

Was ist der seyden Pracht /
Den man so schätzt und acht ?
Es haben Würm gemacht /
Den ganken Seyden Pracht.

4.

Was ist dann / was uns ziert /
Was sovil Seeln verführt ?
Erd Würm / Rott / Schnecken-Blut
Ist das uns zieren thut.

XXXI. Tertio eidem significet, quid S. Gregorius de vestium superfluo ornatu scriptum reliquerit, dum dixit: *Pro sola inani gloria vestimentum pretiosius queritur, uti res ipsa testatur; quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab alijs non possit videri.* Ecce S. Bernardo, *vanum cor vanitatis notitiam ingerit corporis. Et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est, mollia indumenta animi molliem indicant.* Quis autem nolit iudiciis criminis carere coram Iudice compariturus?

XXXII. Quarto pariter illi significet, quid S. Hieronymus de hac materia duxerit nempe quod si vir aut mulier se ornaverit, & vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, iudicium

K 2

cium

cium tamen patietur æternum, quia venenum æternum
 si fuisset, qui biberet. Quis autem venenatum
 tum non horreat? Hinc Joannes Junior refert in
 Ex. dist. 9. ex. 49. quod cum mulier quædam peti-
 à DEO sibi revelari, quod in mulieribus maxime
 testaretur, rapta in Spiritu viderit comitissam gra-
 mē cruciatam propter nimium ornatum in vestibus
 per quē aiebat ipsa, sui pejor, quā ignis inferna-
 nam hic non nisi peccatores urit, sed ornatus
 Sanctos & justos, non conjunctos & junctos con-
 pfit. Addidit postea: vanus ornatus est fax infla-
 mans omnem ignem peccati, & proditor vendens
 tradens castra DEI Dæmonibus, & est imago
 nationis æternæ. Imò idem Junior in Scala cœli
 rat, quod Sanctus quidam in ecstasi viderit cœli
 pertum, & ante januam illius stantes duos terro-
 Dracones, qui rete expanderint, ne homines in-
 possent in cœlum, cumque quæreret vir Sanctus,
 hoc rete & Dracones portenderent, intellexit,
 Draconem esse immunditiam, alterum vanam glori-
 rete verò lascivum & vanum ornatum vestium,
 quem plures damnantur, quā sint Dæmones in
 ferno.

XXXIII. Quinto denique illi significet, si
 topere ornatus corporis illi placet, quantò magis
 natum animæ quærere & amare debeat, de quo
 Augustinus dixit: *Verus ornatus Christianorum
 mores sunt.* Hinc David Ps. 44. dixit: *omnis gloria
 Regis ab intus.* Qui quidem ornatus raro
 corporis superfluo ornatu subsistit, teste S. Ambro-
 dicente: *neglecta corporis cura plus placet, & hoc ipse
 quod nos non ornamus, ornatus est.* E contra

Si ergo uterque ornatus simul subsistere vix potest, an non æquius est animam velut Dominam, quàm corpus velut Ancillam splendide ornari maximè cum ornatus animæ sine culpa, imò cum magna laude, merito, & præmio quæri possit?

CAPUT II.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
AVARITIAM.

XXXIV. **T**iburtius dives Senecio, etsi quotidie mortem expectare deberet, admodum tenax est, ut nec necessaria quidem alimenta & medicamenta corpori suo curando adhibere ausit; assiduus præterea angoribus & sollicitudinibus excrucietur, ne famem & inopiam aliquando pati cogatur, idèoque magis ac magis in dies opes suas augere, & multiplicare studet. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem sit armandus?

Responsio.

XXXV. Inprimis ei considerationem mortis jam jamque imminentis suadeat, vitæque incertitudinem, de qua rectè S. Gregorius ait: *Longa nostra desideria increpat brevis vita. Incassum multa pro victu portantur, cum propè est, quò pergitur.* Idcirco S. Hieronymus facilliter, ait, *despicit omnia, qui semper cogitat, se esse moriturum*; quia brevi itineri non est longum viaticum conquirendum. Certè S. Augustinus in l. de confl. &. affirmavit, avaritiæ morbum

bum nunquam melius compesci, quam cum diem mortis quis sine oblivione meditatatur.

XXXVI. Secundò eidem ostendat, quanta damna & incommoda ex avaritia sequantur, quæ quidem breviter S. Augustinus de lib. arbitrio indicavit, cens: *Cum Avaritia alicui dominatur, subiectus multis omnibus demonstratur, quia de avaritia mala omnia, & peccatorum omnium Spina oriuntur.* Consentiens Innocentius de vilit. cond. hum. Avarus, inquit, nec patientibus compatitur, nec misericorditer subvenit, vel miseretur, sed offendit Deum, offendit Proximum, offendit seipsum; nam Deo detinetur, Proximo denegat necessaria, sibi subtrahit fortunam: Deo ingratus, Proximo impius, sibi invidiosus.

XXXVII. Tertiò eidem ostendat, quam exiguum fructum ipse habeat si divitiis, cum, ut optime advertit S. Hieronymus in quod. serm. *avarus nihil aliud sit, quam Bursa Principum, Cellarium Lethronum, Rixa Parentum, Sibilus hominum.* Et S. Gregorius ait, hinc ardeat æstu concupiscentiæ, multiplici cura custodiæ, & postmodum arsurus igne gehennæ. Si potentiores videt, timet rapinam: si inferiores, timet furem: infelix tanta perterritus, quanta pati timet. Quæ omnia confirmat S. Bernardus in quod. serm. *Divitiarum, inquit, amor insatiabilis longè amplius torquet animam, quam refrigeret usu suo, quarum acquisitio quidem labor, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur.*

XXXVIII. Quartò illi modum avaritiæ extirpandæ à S. Prospero l. 2. de vit. cont. c. 16. assignat ostendat: *Quem possidendi delectat ambitio, Deum*

qui possidet omnia, quæ creavit, expeditâ mente possideat, & in eo habeat, quæcunque in eo sanctè desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, sit ipse primitus possessio, & efficietur ejus Deus possessor & portio. Et quid potest esse felicitas eo, cui efficitur conditor census, & hereditas ejus dignatur esse ipsa divinitas? Quid ultra querit, cui omnia sunt conditor sit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Quod ipsum etiam confirmans S. Augustinus l. 5. in Ps. 30. *Avare, ait, an parùm tibi est, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum? quid ergo de his, quæ Deus fecit, sufficiet tibi, cui Deus ipse non sufficit?*

XXXIX. Quintò jubeat meminisse, quòd melius sit modicum iusto super divitias peccatorum multas; quòd non sit inopia timentibus eum: quòd magnus sit quæstus pietas cum sufficientia; quòd optimæ literæ censuales sint ista Christi verba Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Si enim volucres cæli, pisces maris, bestias terræ tam liberaliter nutrit, quantò magis hominem, propter quem illa omnia creavit, quémque summo sanguinis sui pretio redemit, Servum, Amicum, Filium, Sponsam perire non sinet, sed omnia ad victum necessaria, prout ipsi utile judicaverit, providebit.

XL. Sextò pariter illi significet, quàm graviter Deus hoc vitium detestetur, utpote quod est Idololum servitus; quid artem Idololatriæ Deo magis esse potest injuriosum & invisum, per quam ipsa quasi

Divinitas eripitur, dum Mammona pro Deo eligitur, & habetur; ut meritò dixerit Ecclesiasticus c. 10. Avaro nihil esse Scelestius, & S. Paulus ad Eph. 5. scribens dixerit; *Avaritia nec nominetur in vobis, sed decet Sanctos.*

CAPUT III.
DE TENTATIONIBUS CIRCA
INVIDIAM.

XLI. **P**rotasius Aulicus advertens alios passim se à Principe amari, ditari, extolli, gratia Invidiæ stimulis agitari se sentit, atque ad varias & modos, quibus hanc ipsis gratiam & fortunam eripere possit, excogitandas. Quæritur, quomodo contra hos stimulos muniendus sit?

Responsio.

XLII. Primò illi turpitudinem hujus vitij ostendat, utpote quod præ alijs hominem Diabolus inimicum efficit, cujus invidiâ mors in mundum introducta est, nam, ut S. Cyprianus ho. 43. ad Antioch. c. 1. ille Angelicâ Majestate subnixus, ille DEO acceptus, charus, postquam hominem ad imaginem DEI factum conspexit, in zelum molevolo livore prorupit, non pro alterum dejiciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante deum: captivus antè, quàm capiens, perditur postea, quàm perdens: dum stimulante livore bonam gratiam datam immortalitatis eripit, ipse quoque quod prius fuerat, amisit: Imò, S. Chrysostomus in eo teste, invidus ipso Diabolo est magis Diabolo

nam Sathan invidet quidem hominibus, sed socio nemini; invidus verò homo cùm sit, etiam hominibus invidet.

XLIII. Secundò eidem ostendat gravitatem huius vitij quam quidem breviter & bene S. Gregorius l. 5. mor. depinxit dicens: *Quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi virus antiqui hostis infunditur, in hoc tamen nequitia sua tota viscera commovit serpens, & imprimenda malitia pestem vomit.* Quod confirmans S. Cyprianus 5. de zelo & liv. *Invidia, inquit, est radix malorum omnium, fons cladum, Seminarium delictorum.* Id colligi potest ex cæde Caini, venditione Iosephi, persecutione Davidis à Saul facta, morte Christi, & perditione totius generis humani; Si ergo Parentis nostri Occisorem in domum nostram non admitteremus, vel certè ibi latentem totis viribus extraheremus, ac, si liceret, occideremus; an non multo magis invidiam ex corde pellere oportebit, quæ utrumque Parentem nostrum, Christum & Adamum occidit?

XLIV. Tertiò ostendat illi difficultatem curationis huius vitij; quam bene S. Basilius orat. de liv. indicavit dicens: *Invidia tam fadum malum est, ut invidus ipse prodero se non audeat. Simulat propterea gaudium, & tacitè secum rumpitur. Ob quam causam nec medium, nec medicinam, mali sui facile invenit.* perinde ferè ut oculi difficulter curantur, quia teneri sunt, & reconditi. Quod ipsum etiam Cassianus coll. 18. c. 17. confirmans, usque adeò incurabilis, inquit, est ista perniciēs, ut blandimentis exasperetur, infletur obsequiis, muneribus irretitur, quia, ut Salomon ait, nihil sustinet zelus. Unde idem Author de hoc vitio illud Jeremiæ vaticinium intelligi

telligi posse arbitratur: *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.*

XLV. Quartò eidem ostendat Stultitiam huius vitij utpote per quod frustra fatigat se invidus in finem quem intendit, obtinendo; cum rem illam, ob quam invidet, non modò per invidiam non eripiat, sed potius graviter tam quoad corpus, quam quoad animam noceat, ut rectè S. Chrysostomus sup. Matt. vertit, dicens: *O invidia, quæ semper sibi inimica est, nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit; illi autem, cui invidet, gloriam parit.* & ut S. Gregorius ait, quò alij ad meliora properant, eò ipso deterius ruunt ac prætereantantos habet iusta pœna tortores, quam eos invidiosus habet laudatores.

XLVI. Quintò Suadeat illi, ut ad cœlestia bona anhelet; sic enim facilè omnem invidiam ex animo proscripturum, uti S. Gregorius l. 5. mor. c. 32. præcipit ostendit dicens: *Qui livoris peste carere desiderat, illam hereditatem diligit, quam cohæredum numerus non gustat, quæ & omnibus una est, & singulis tota, tanto largior esse ostenditur, quanto ab hac participantium multitudo dilatur.*

XLVII. Sextò ostendat illi modum, quo ipse quoque se participem facere possit illorum bonorum, quem alteri invidet; quem modum breviter S. Augustinus sup. Jo. indicavit dicens: *Tolle invidiam, & tuum est, quod habeo: tollam invidiam, & meum est, quod habes.* Talis nempe dicere potest cum Davide Pl. 118. *Princeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

CAPUT IV.

DE TENTATIONIBVS CIRCA
GVLAM.

XLVIII. **T**heophilus Religiosus Juvenis fatetur, multas quidem se tentationes pati, sed nullam sibi molestiorem accidere, quàm Gulæ tentationem, eò quòd audièrit, nullum vitium adeò Religiosum dedecere & probrosum illi esse, quàm istud, teste Cassiano coll. 13. dicente: *Interioris hominis castitas hujus virtutis consummatione discernitur; nunquam enim robustioribus amulis colluctari posse confidas eum, quem in leviori conflictu conspexeris ab inferioribus, parvisque superari.* Quæritur, quomodo contra hanc tentationem sit armandus?

Responsio.

XLIX. Primò jubeat illum sæpe perpendere, quàm bestialis, vana, brevis, corporique ac animæ nociva sit voluptas, quæ ex cibis percipitur, ac proin hortetur, ut cum Seneca dicat: *Ad majora sum genitus, quàm ut mancipium corporis mei fiam.* Certè Petrarca judicavit, hoc vitium nullo modo efficacius, quàm gravi quâdam indignatione superari, cui etiam Aristoteles & Cicero sunt adstipulati.

LX. Secundò eidem suadeat, ut Spiritualium deliciarum sitim in se accendat, nam gustato Spiritu, desipit omnis caro; hinc S. Gregorius ait: *Gula per abstinentiam frangitur; sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem cibis Spiritualibus non replet; potenter enim corpus extenuat, qui amore celestium*

lestium cor inflamat, quia, dum spiritualia diligenter desideria carnis valenter premit. Hoc certè medicum tam necessarium Cassiano est visum, ut dicere audeat: Nequaquam poterimus esearum presentium sperare voluptates, nisi mens contemplationi divina defixa, amore virtutum magis, et pulchritudine coelestium delectetur.

LXI. Tertiò illi suadeat, ut nihil extra tempus bibat, veledat? uti jam olim etiam Cassianus l. 5. c. 2. monuit dicens: *Monachus hanc in primis sibi cautionem judicet, ut non potius quidquam, non esus, nulla liberatione, ante stationem legitimam, communem refectiois horam extra mensam percipere sibi permittere indulgeat.* Certè S. Philippus Neriùs dicere solebat, neminem fore vitum spiritualem, qui extra tempus sæpe comedere consueverit.

LXII. Quartò ostendat ei gravitatem hujus vitii ex damnis, quæ ex ea colligi potest, quodd, ut. S. Gregorius ait, ex uno gulæ vitio innumeræ vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. In speciebus tertiò ea recensuit Innocentius dicens: *Gula Paradisum elausit, primogenituram Esau vendidit, pistorem Pharaonis suspendit, S. Joannem Baptistam decollavit, templum ierosolymitanum per Nabuzardan Coquorum Principem cepemina coendit, et Jerusalem totam evertit.*

CAPUT V.

DE TENTATIONIBVS CIRCA
EBRIETATEM.

LXIII. **A** Pronianus civis per assiduas compotationes adeò hepar suum accendit, ut continuè

suum se pati fateatur, & dum ob frequentem crapulam à Pastore suo graviter correptus, ad seriam emendationem stimuletur, candidè respondet, impossibilem sibi videri abstinentiam à Cerevisia, atque adeò prope modum desperare de emendatione. Quæritur, quomodo à tam gravi consuetudine abducendus, & contra hanc tentationem muniendus sit?

Responsio.

LXIV. Primò illi ostendat, quàm difficilis sit Victoria tentationis hujus juxta S. Augustinum dicentem: *Ebrietas est quasi Inferni puteus; quoscunque suscepit, fortiter tenet.* Cui contentiens S. Hieronymus, facile, inquit, caremus alijs vitijs, hic hostis nobis inlatus est, quocunque pergimus, nobiscum portamus Inimicum. Quò ergo difficilior est victoria, tanto magis sibi ad DEUM pro auxilio recurrendum novit, ut rectè idem S. Augustinus s. 231. de temp. monet dicens: *Qui sunt ebriosi, cum adjutorio DEI de luto fecis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus est poenitendi, festinent, quantà possunt, celeritate, DEO adjuvante consurgere, & totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant: eripe me de luto, ut non inheream.*

LXV. Secundò perpendere eum jubeat, quàm turpe sit hoc vitium, utpote per quod ipsis brutis, quæ nullà vi adigi possunt, ut plùs, quàm necesse sit, bibant, fit deterior; quo motivo sanè permotus quondam Studiosus quidam fuit, teste Marchantio lect. 4. in sub. Sacerd. ad ebrietatem vitandam; cùm enim Parisiis domum proficiscens, in hospitio ab hospite ad varios haustus in sanigatem uxoris, Filiæ, Ancillæ persuasus

suasus esset, ideoque inebriatus, sequenti die gravissimos capitis dolores sensisset, accidit, ut in itinere ad fluvium perveniret, ibique jumentum suum ad bibendum invitaret, quod cum illud modicè fecisset, postea Studioso frustra per amorem Hospitæ, Filiorum, Ancillarum, ut plùs biberet, incitante, noluisse parere, quin etiam recalcitrando abnuisset, motus ille hoc jumenti exemplo dixit: Verè tu longe me prudentius es; si enim ego me heri perinde, ut tu continuissem, hodie tam gravi capitis dolore, saucioreque ariditate non laborarem; ideoque & sibi decem cepes ab immodico potu temperare statuit.

LXVI. Tertio eidem demonstrat, quàm modò turpe, sed etiam periculosum sit hoc vitium, quia ebrium sic finire, est æternum interire; neque enim, cum rationis incapax sit, per ullum medium recuperare potest statum gratiæ; quis autem nescit, quàm multis periculis per rixas, aut casus interitum expositi sint ebrii, ut meritò Christus Luc. 21. te sollicitè monuerit: *Attendite vobis, ne forte corpora vestra graventur crapulâ & ebrietate, & supervenerit in vos repentina dies illa.*

LXVII. Quarto eidem ostendat, quàm noxium sit hoc vitium, uti sapienter Seneca ep. 81. advertens dicens: *Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas. Hac acerrimas Gentes, bellicosissimâsque iradit. Hac multorum annorum pertinaci bello defensa metum patefecit. hac contumacissimos, & jugum recusantes in alienum egit arbitrium: hac invictos acie mero dejecit.* Brevius verò S. Ambrosius l. 1. de Isaac. c. 2. diversa, inquit, singulis peccatoribus mala eveniunt temulentis omnia. Sed & S. Chrysostomus hom.

In Gen. id confirmans ait: *Vini largior usus infinitorum malorum causa est, ut adeò ebrietas unius horae hilarum insaniam longo temporis radio penset, teste Seneca, sed nihil dicam de jactura sanitatis, divitiarum, honoris, famæ, castitatis, ut meritò S. Augustinus l. 231. dixerit: Ebrietas flagitiorum omnium Mater, omnis luxuria soror, naufragium castitatis est.*

LXVIII. Quintò eidem suadeat, ut, sicut olim S. Augustino impossibilem luxuriæ fugam sibi esse persuadenti, continentia cum pueris & puellis apparuit, & subridens dixit: *Potuerunt isti, & ista, & tu non poteris?* ita ipse infinitorum hominum facillimè potu abstinentium greges menti objiciat, indèque colligat, non adeò difficile esse debere, quod tam multi sine speciali difficultate præstant; maximè cum divinum auxilium sibi per unam, alteramve generosam abstinentiam in honorem sitientis in cruce Christi exercitam conciliârit, pœnamque aliquam propter transgressiones propositi factas ipse sibi imposuerit.

CAPUT VI.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
LUXURIAM.

LXIX. **M**Agdalena mulier formosa à proco quodam seducta, postquam semel carnis delicias gustare cœpit, adeò ab iisdem inescata est, ut passim se in omnis generis libidinem præcipitaret, & obvio cuivis prostitueret; Advertens tamen denique periculum salutis, in quo versatur, miserum statum suum Confessario aperit, ab eoque remedium,

dium, quo carnis tentationes superare possit, agnari petit. Quæritur, qualia ejusmodi remedia subministrari debeant?

Responsio.

LXX. Primò ei præ omnibus alijs medijs orationem suadeat, nam de hoc vitio præcipuè intelligitur test illud Christi dictum: *Hoc genus demoniorum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium*; uti ipse et Salomon agnovit Sap. 8. dicens: *Et ut scivi, quod aliter non possem esse continens, nisi DEUS det, & Dominum, & deprecatus sum.* Et meritò; quia enim militiæ Dux, cui castrum aliquod commissum est, videns illud ab hostibus, quibus imparens agnoscit, obsidione cingendum, mox ad castrum vinum literas mittit, & auxilium petit; ita idem simili hoc casu agendum dicendumque cum S. Augustino l. 10. confess. c. 19. *O! amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas DEVS accende me! continentiam jubes; da, quod jubes, jube, quod vis.*

LXXI. Secundò non minori efficaciam ei fugæ occasionum & tentationum suadeat, & Josephus Ægyptiacum imitari suadeat, qui, ut impudicus Dominam evadere posset, pallium, quo apprehensus fuerat, reliquit, & fugit. Quod medium etiam S. Augustinus his verbis suavit: *Contra libidinis appetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Non tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere*; nam ut rectè Origenes hom. 1. dixit, *ista fuga est, quæ habet salutem; ista fuga virtutis est: ista fuga beatitudinem confert.* Unde etiam majè Poëta quidam cecinit.

Siccedis, cedit: si stas, Venus improba lædit:

Cypria damna fugas, si sua tela fugis.

LXX. Tertiò DEI præsentiam ut perpetuò ob oculos habeat, seriò commendet; hujus enim mediæ singularem efficaciam S. Ambrosius in c. 10. Matth. sequentibus verbis describit: *Detur mihi captus adulterina cupiditatis intemperantissimo astu; qui nolit repugnare carnis suæ appetitui, incariosus fustitia, tamen sollicitus famæ, erubescens testimonium erroris, qui ipsum non erubescit errorem. Si quem fortè spectatorem novit facinoris sui, verecundia sequestrat intemperantiam, & pudore inceptum scelus deserit: quanto magis si DEVM Inspectorem cogitavit, abstinebit.* Certè S. Basilii in qq. fusè disp. 20. de pugna adversus hoc vitium discurrens, *hæc omnia ei facilia sunt, qui DEVM semper præsentem aspiciit; uti S. Ephrem exemplo suo ostendit, dum mulierem ad scelus sollicitantem hoc præcipuè medio à concepto proposito abduxit.*

LXXI. Quartò Sacramentorum usum præcipuè SS. Eucharistiæ singulariter ei commendet, nam, ut S. Bernardus dixit, *Duo hoc Sacramentum operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus tollat omnino consensum.* Certè expertus hoc est civis quidam Ferrariensis, qui ante hunc usum perpetuis tentationibus vexabatur, postea verò, ubi frequentius confiteri, & communicare ex consilio Confessarij sui cœpit, adeo extinctos omnes carnis stimulos sensit, ut dixerit: *O si citius in talem Confessarium incidissem, qui medium hoc mihi suassisset, quam multis à peccatis, & tentationibus liber extitissim!*

LXXII. Quintò ad exemplum S. Bernardi sibi proponat, ut sibi proponat ad honorem SS. Trinitatis, saltem die abstinere à tali peccato; dein ubi victoriam retulerit, alterum diem ad honorem Christi Crucifixi, tertium ad honorem Christi Evangelistici, quartum ad B. Virginis, S. Angeli Custodis SS. Patronorum &c. adijciat; certè memor S. Bernardus hoc medio gravissimum & libidinosum Peccatorem à mala consuetudine sic abduxit, postquam non nisi triduo abstinuisset, aperit se nullam ampliùs difficultatem in carnis tentationibus superandis sentire.

CAPUT VII.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
IRACUNDIAM.

LXXIII. **S**apientius Nobilis adeò ad iram pronus, ut non modò ob levissimam quamvis fam in liberos & alios domesticos graviter exarscat, eosque verbis contumeliosis, & immodicis verbis castiget; sed etiam ab Externis vel minimè offensus, mox in sævam iram prorumpat, & vindictam diu, nocturneque meditetur; quam proin infirmitatem suam cum intimo doloris sensu agnoscens, Confessio aperit, ab eoque contra ejusmodi gravem tentationem & Consuetudinem armari humiliter queritur, quomodo id præstare debeat Confessarius?

Responsio.

LXXIV. Primò eidem dilationem iræ suadet olim Athenodorus Regi cuiquam suaserat, ut

habetum prius, quàm ad iram commotus quidpiam
 rinitatis noceret, recitaret; & verò etiam Gregorius l. 5. mor.
 lein ubi huc 33. præscripserat dicens: *Quoties ira animum inva-*
norem Cui, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furo-
risti Erchu. Cùm tranquilla mens fuerit, fac, quod placet.
 ageli Cui Quod confirmans S. Ambrosius l. 1. offic. c. 21. Re-
 e memorate, inquit, ira, si potes: cede, si non potes; quia scri-
 libidinosum est: *Date locum ira. Ergo si pravenierit mentem*
 abduxit, nam iracundia, ne relinquo locum tuum. *Locus tuus*
 rte confectus sapientia tua est: *locus tuus ratio tua est: locus tuus se-*
 nis tentatio indignationis est.

LXXV. Secundò suadeat, ut propriam infirmita-
 tem consideret; nam considerata propria infirmi-
 tas, teste S. Gregorio l. 5. mor. peccata excusat
 aliena; patienter quippe injuriam illatam tolerat, qui
 se meminit, quòd adhuc fortasse habeat, in quo de-
 beat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur,
 cùm surgente furore animi, sua cuique ad mentem
 culpa revocatur, quia erubescit sibi Peccator non par-
 cere, qui vel DEO vel proximo saepe se reolite par-
 cendo peccasse.

LXXVI. Tertiò suadeat, ut fœditatem, & dam-
 na iræ perpendat, ita Seneca l. 2. de ira c. 36. suavit
 dicens: Quibusdam iratis profuit, ut ait sex: us, aspe-
 xisse speculum, perturbavit illos tanta mutatio sui; si
 enim, ut D. Gregorius Naz. orat. 4. narrat, Dea illa
 cantu fistulæ delectari solita, ejusdem usum detestata
 est, dum deformitatem ex inflatione resultantem in
 fonte contempsit, quidni idem ab iracundo sperandum
 sit, si vitij sui turpitudinem consideret. Quæ omnia
 optimè confirmans S. Basilius ho. 21. de ira, *Vir ira-*
cundus, inquit, turpis est. Quomodo turpis? quia
 L 2 *humana-*

humanam quasi figuram amittit, fera speciem induit.
Considera parumper iratum. Furit, debacchatur, mutantur oculi, turbidi, sanguinei que fiunt, cor accendit, sanguis commovetur. Hunc videas ut apertis dentes acuentem. Hinc rectè Seneca l. c. infero:
Qualem putas animum, cuius externa imago fœda est?

LXXVII. Quartò suadeat illi, ut Christi, & Sanctorum mansuetudinem frequenter perpendat; ut sapienter S. Chrysostomus ho. 3. de David & S. advertebat, quemadmodum, qui laborant oculis spongas, ac vestium cyaneo colore imbutos per tenebras, frequenter in ea intueantur, ex eodem colore nonnullum capiunt morbi levamen, similiter tu si Davidis (multò magis Christi & Sanctorum imaginem (& mansuetudinem) præ oculis habes & in hanc assiduè defigas oculos, etiamsi millies tundat ira mentis oculos, perturbans, ad hoc tamen exemplar respiciens, perfectam consequens letitiam, puramque animi Philosophiam ac tranquillitatem; hoc enim est, quod, teste S. Basilio ho. 2. David ait: *Paratus sum, & non turbatus.* Operari itaque motus animi præcipientes atque insanos exemplo Sanctorum, ac beatorum præceptorum membris cohibere. Hinc & Apostolus suos Hebræos animavit: *Recogitate eum, qui talem sustinuit adversarios in semetipsum contradictionem, ut ne sanguis vestris deficientes.*



CAPUT VIII.

DE TENTATIONIBVS CIRCA
ACEDIAM.

LXXVIII. **A**lipius Juvenis confitetur Confessa-
rio, se tantum erga spirituales actio-
nes, & studia sua tedium concepiſſe, ut non niſi cum
ſumma ſemper difficultate & faſtidio ad eadem ſe
conterat. Licet autem ſæpiùs propoſuerit, hanc A-
cediam deponere, ſemper tamen tædio victum con-
ceptorum propoſitorum executionem differre. Qua-
ritur, quomodo armari contra hanc Tentationem
debeat?

Reſponſio.

LXXIX. Inprimis ſuadeat illi, ut auxilium divi-
num ſedulò imploret, ſic enim S. Bernardus ſ. 22.
ſuaſit dicens: *Cùm te torpore, acedia, vel tædio affici
ſentis, noli propierea diffidere, aut deſiſtere à ſtudio
ſpirituale, ſed iuvantis require manum, trahi te obſe-
crans ſponſæ exemplo, donec denuo ſuſcitante gratiâ fa-
ctus promptior, alacriorque curras, & dicas: Viam
mandatorum cucurri, cùm dilatâſti cor meum.*

LXXX. Secundò jubeat perpendere, quantopere
DEUS hoc vitium deteſtetur, utpote per quod infi-
nita ejus Majeſtas deſpicitur, & inhonoratur; ſi enim
Homines in ſervitio ſuo ſocordes & negligentes non
tolerant; quantò minùs DEUS infinities dignior pa-
tietur, tepidè & oſcitanter ſe coli. Hinc meritò Je-
rem. c. 48. dicitur: *Maledictus, qui facit opus DEI
negligenter.* Et Apoc. 3. dicit ipſe DEUS: *utinam
frigidus eſſes, aut calidus; ſed quia tepidus es, inci-*

piam te evomere ex ore meo. Quam ob causam hortatur S. Ambrosius : *ô homo impudens , millium ministrant ei , & decies centena millia affluunt ei . & tu sedere præsumis ?* Aliter certè se S. D. gessit , qui de seipso l. i. par. c. ult. confessus est : *his viribus preparavi impensas domus Domini ; enim habitatio preparatur , sed DEO.*

LXXXI. Tertiò ostendat ei , quanto fervore sollicitudine Filij facili laborent pro terrenis congregandis ; quàmque adeò turpe & irrationabile sit pro cœlestibus & æternis bonis similem fervorem & alacritatem non ostendere. Unde meritò Theodorus de Kempis l. 3. c. 3. sic in Persona Christi homini alloquitur : *Promittit Mundus temporalia , & servat ei aviditate magnà : ego promitto summa , & æternam vitam . & torpescunt mortalium corda . Erubescere ergo pigri ac querulose , quòd illi paratiores inveniantur perditionem , quàm tu ad vitam . Gaudent illi magis plius ad vanitatem , quàm tu ad veritatem . Equi spe suà nonnunquam frustrantur , sed promissio mea minem fallit , nec confidentem mihi dimittit inanis .*

LXXXII. Quartò illi ostendat , quantum gaudio DEO , Proximo , & sibi creare possit , si fervorem se & alacrem in servitio DEI ostenderit. DEO gaudio , quia hilarem datorem præ alijs diligit . Proximo autem , quia , teste lib. de imit. l. i. c. 25. *placere dum & dulce est , videre fervidos & devotos fratres ; è contratio verò triste , & grave , videre inordinatè ambulantes , qui ea , ad quæ vocati sunt , non faciunt .* Sibi denique , quia homo fervidus , ut l. c. dicitur , ad omnia est paratus ; & si dederit se ad fervorem , inveniet magnam pacem , & sentiet levioribus

laborem propter DEI gratiam, & virtutis amo-

LXXXIII. Quintò proponat illi ob oculos stulti-
tiam hominis in spiritali lucro comparando negli-
gentis; si enim homini pauperi thesaurus regius ape-
riretur, atque facultas daretur per unam horam au-
ferendi, quantum posset, & vellet, an non summa
recordia & insania foret, si vel otio, vel nugis ho-
minem illam consumeret? cùm ergo cuivis homini gra-
tia hæc facta sit, ut, quantum meritorum voluerit,
in hac vita congreget, an non, si otio & nugis va-
cet, tantò majori reprehensione dignus censebitur,
quantò maiora erant bona, quæ neglexit?

CAPUT IX.

DE TENTATIONIBVS CIRCA
DETRACTIONEM.

LXXXIV. Fabianus Aulicus multis quidem alijs
vitijs, sed Detractioni præcipuè asue-
tus, quæcunque de alijs audivit vitia, sive gravia,
sive levia sint, in colloquiis manifestat, eorum ma-
ximè, quos aut æmulos patitur, aut supra se amatos
& elevatos advertit, ut hac ratione æstimationem
apud Principem imminuat, & tandem eos omnino de
gradu dignitatis præcipiter. Quæritur, quomodo
hæc ei tentatio, & consuetudo sit eripienda?

Responsio.

LXXXV. Inprimis ei ostendat, quàm noxium
sit hoc vitium; utpote quod charitatem directè oppu-
gnat, atque aded etiam Deo summè exosum est, uti
S. Bernardus l. 24. in cant. sequentibus verbis osten-

dit: Detrahentem, inquit David, Secretò proxi-
suo hunc persequabar: nec mirum, cum id precipue-
tium charitatem, qua DEVS est, & quidem car-
acrius impugnare, & persequi cognoscatur. Om-
enim, qui detrahit, primùm quidem seipsum prodit
cum charitate, deinde quid aliud intendit detrahens
nisi ut is, cui detrahit, veniat in contemptum,
odium ipsis, apud quos detrahit. Et iterum tri-
triplic. custod. Numquid non est vipera, inquit,
gua DetraCTORis? ferocissima planè, nimirum qua
thaliter inficiat tres flatu uno. Numquid non la-
est ista lingua? Profectò, & acutissima, qua tres
netrectu uno. Lingua eorum, inquit, gladius
tus. Gladius enim anceps, imò & triplex est lin-
DetraCTORis. Addit deinde, talem linguam cru-
liorem esse lanceâ, spinis, & clavis, quibus Ch-
stus crucifixus est, eò quòd DetraCTOR occidat seipsum
audientem, & cui detrahatur.

LXXXVI. Secundò suadeat, ut seipsum &
defectus bene inspiciat; sicut S. Bernardus l. 4.
dom. inter. monuit dicens: *Nunquam alienis de-
hes, si teipsum inspexeris*: Hinc S. David Ps. 69.
quit. *Scrutati sunt iniquitates* (alienas scilicet) *de-
cerunt scrutantes scrutinio* (propriorum defectum).
Idem Pimenius Abbas, teste Ruffino in Vit. Pa-
l. 4. n. 135. confirmavit, dum rogatus, quomodo
rare possit homo, ne loquatur malum de proximo
suo? Respondit: Ego & proximus meus duæ im-
gines sumus; cum ergo meam perspexero, & rep-
hendero, invenitur imago Fratris mei venerabilis
apud me; quando autem meam laudavero, tunc
Fratris mei imaginem pravam respicio. Tunc

alteri non detraho, si semper meipsum reprehendo.

LXXXVII. Tertiò suadeat, ut fugiat Societatem Detraكتورum, de quibus S. Bernardus l. 24. in cant. dixit: *Non veniat anima mea in consilio detrahentium, quoniam DEUS odit illos, dicente Apostolo: Detraكتورes Deo odibiles.* Hinc S. Hieronymus quoque reg. mon. c. 22. monuit: *Si quem alicui detrahentem audièritis, procul fugientes dimittite velut, Serpentem, ut verecundiâ victus discat, de aliorum factis silere.*

LXXXVIII. Quartò illi turpitudinem hujus vitij ostendat; nam, ut S. Hieronymus in epist. affirmavit, vilium satis hominum est, & suam laudem querentium, alios viles facere; quia alterius vituperatione se laudari putant; & quia suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione malorum. Et quis non stultissimum judicet illum, qui surdo loqui velit? atqui surdo maledicere, teste S. Gregorio, est absenti & non audienti derogare. Adde, quòd sicut is, qui à tergo, & clam invadit proximum, ignobile, & turpe facinus dicitur commisisse, ita idem de Detraكتورe sit sentiendum.

CAPUT X.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
JUDICIUM TEMERARIUM.

LXXXIX. **P**Amphilas civis inter alia fatetur Confessario, se valdè proclivem esse, ad suspensiones & temeraria judicia de domesticis simul & externis concipienda; quare cùm sæpius

L 5

se

se graviter deceptum fuisse, & impegiſſe Adverſari, impenſè rogat, telum & medium ſpirituale ſibi offerri, quo contra tentationes hujusmodi ſe protegere poſſit. Quæritur, qualia arma & media illi præſtenda ſint?

Reſponſio.

XC. Inprimis illi oſtendat, quàm graviter impiosum DEO ſit hoc vitium; utpote cujus officium quod eſt, judicare homines, invaditur, unde ipſe DEUS circa hoc olim queſtus eſt, &, cùm ſacerdos quendam ſolitarie quidam temerè judicàſſet, hanc de cælo vocem miſit: *Tulerunt homines judicium meum.* Merito ergo S. Paulus Rom. 14. dixit: *Tu quæres, qui alienum judicas ſervum? Domino tuo ſervus aut cadit.* Et iterum 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare; donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*

XCI. Secundò illi ſignificet, quàm ſtultè agat alios judicando; quis enim non ſtultum judicet cæcum, qui temerariè præſumeret, de coloribus aut imaginis cujuſdam pulchritudine aut deformitate judicare; atqui idem faceret ipſe, ſi de factorum aliorum bonitate vel malitia vellet judicium ferre, cùm enim tota bonitas vel malitia ab intentione penderet, hæc autem utpote totaliter intrinſeca cognosci à homine, quàm Deo, poſſit, rectè ſanè inferatur, neminem quoque de operum bonitate vel malitia, niſi Deum, rectum & infallibile judicium ferre poſſe; unde rectè Thomas Kemp. lib. 3. c. 24. in Perſona Chriſti dixit: *Ecce ego omnes cognosco, & cuncta,*

que sub sole fiunt. video, & scio, qualiter cum unoquoque sit, quid cogitet, quid velit, & ad quem finem tendat ejus intentio; mihi igitur omnia committenda sunt, in verò serva te in bona pace, & dimitte agitantem agitare, quantum voluerit. Veniet super eum, quidquid fecerit, vel dixerit, quia me fallere non potest.

XCII. Tertio ostendat illi, quid S. Augustinus l. 2. in S. Dom. in monte dixerit: *Temerarium iudicium plerumque nihil noceat ei, de quo temerè iudicatur; eiautem, qui temerè iudicat, ipsa temeritas necesse est, ut noceat; si enim malum est, inquit S. Chrysostomus hom. 24. in Matth. propria peccata non cernere, duplex jam aut triplex peccatum est, iudicare alios, & in suo oculo trabem sine dolore gestare: omni quippe trabe gravius est.* Hinc DEUS in pœnam permittit, ut plerumque in eos ipsos defectus cadant, de quibus alios temerè iudicant, uti de se quoque Abbas Machetes apud Cassianum fassus est; ut adeo rectè dixerit S. Paulus Rom. 2. *Propter quod inexcusabilis es, ô Homo omnis, qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas.*

XCIII. Quarto ipsi suadeat, ut propria peccata frequenter consideret; sic enim & Christus suavitè Matth. 7. dicens: *Quid vides festucam in oculo Fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Id quod confirmans S. Gregorius lib. 14. mor. cap. 15. ait: *Qui semetipsum prius non iudicat, quod in alio rectum iudicet, ignorat. Et si novit forte per auditum, quod rectè iudicare debeat, rectè tamen iudicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentia propria nullam*
iudicis

Judicis regulam præbet. Hinc est enim, quod iudicantibus quibusdam, & puniendam Adulteram decemcentibus dicitur: *Qui sine peccato est vestrum*, primo in illam lapidem mutat, ad aliena quippe peccata ibant & sua reliquerant. Hinc & senex quidam à Fratres interrogatus, quæ causa esset, cur Fratres ipse afflicto iudicet? respondit: *Quia necdum teipsum cognovisti; nam qui seipsum novit, Fratrum vitia non afflicto*. Merito ergo salubre Thomæ Kemp. l. i. c. 1. monitum observare debet: *Ad teipsum oculos revertere, & aliorum facta cavens iudicare. In iudicando alios frustra laborat, sæpius errat, & leniter peccata teipsum verò iudicando & discutiendo semper fructus laborat.*

XCIV. Quinto illi suadeat, ut Consilium S. Bernardi f. 4. in Cant. datum sequatur dicentis: *Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Cogita, quid deus faceret hac tentatio, si mihi obtigisset. Sed & doctrinæ à S. Hieronymo ep. 39. datæ meminerit: Alios hominum livor, aliter Christus iudicat; non calidior est sententia tribunalis ejus, & anguli susurrant. Multa via videatur hominibus iusta, quæ postea reperientur prava. Et in testaceis vasis aurum sæpe reconditur. Patrum ternegantem amare in suum locum constituerunt lacryma cui plus dimittitur, plus amat.*

☞ (o) ☞

CAPUT XI.
DE TENTATIONIBVS CIRCA
HYPOCRISIN.

XCV. **E**uphemia Virgo parùm alioqui devota ad-
vertens, alias quasdam Virgines arden-
ter admodum, & cum decentissimo ipsius etiam cor-
poris situ in templo orare, & propter hoc ubique
laudari, & commendari, vehementer incitatur, ad
similem devotionis & Sanctitatis laudem & æstima-
tionem sibi quoque comparandam, atque adeò ad
devotionem, quia intuseam non habebat, externis
saltem signis simulatoriè demonstrandam. Quæritur,
quomodo contra hanc tentationem munienda sit.

Responsio.

XCVI. Inprimis ei ostendat, quàm abominabile
DEO sit hoc vitium, id quod vel ex ipsius Christi
testimonio colligi potest, qui nullum aliud vitium tan-
topere exagitavit, totiesque vè ingeminavit, quàm
super hypocrisin, & simulationem Phariseorum; &
metidò, quia, ut D. Gregorius lib. 8. mor. cap. 27.
ait, *Hypocritæ, cùm per accepta bona in laude sua se*
elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant;
inde quippe contra largitorem superbiunt, unde ei am-
plius humiles esse debuerunt. Sed eò postea sententia di-
strictior illos percutit, quò nunc ingrati magis ea reci-
piunt, fitque eis amplitudo muneris incrementum dam-
nationis; ideo scirpo comparantur, qui exterius viret,
& crescit, intus vacuus est.

XCVII. Secundò quàm exosum ipsis etiam ho-
minibus sit hoc vitium; quis enim non odit, & de-
testatur

testatur Judam fallaci osculo Christum inimicis prodentem? quis non Judæos prætorium, ne contaminarentur, ingredi metuentes, & tamen gravissimo scelere mortem Christo procurare non verentes? atqui his similia & majora crimina Hypocritæ committunt. Hinc S. Gregorius I. 10. mor. inexcusabile hoc vitium esse asserit, dicens: *Hypocrita autem districtum Judicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia, dum ante oculos hominum omnem modum Sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere ignorant.*

XCVIII. Tertiò illi ostendat, quòd nihil minus obtineat, quàm intendit; cùm enim omnis illius intentio cò feratur, ut magnam sibi apud homines opinionem compareret, plerumque justo Dei judicio cœtingit, ut vel maximè displiceat, sicque impleatur, quod S. David Psal. 52. prædixit: *DEVS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt. DEVS sprexit eos.* Unde non malè quidam opus Hypocritarum pomis juxta mare mortuum crescentibus comparavit, quæ extrinsecus quidem speciosa sunt, interiùs verò omni succo carent, &, si vel modicè tangantur, in cineres vertuntur.


XCIX. Quartò illi demonstret, quàm perniciosum sit hoc vitium, quia, teste S. Chrysostomo in c. 7. Matr, nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio; nam manifestum malum quasi malum fugitur, & cavetur; malum autem sub specie boni celatum dum non cognoscitur, nec caverur, sed quasi bonum suscipitur. Sic servi Diaboli tunc pessimè Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos, de quibus Christus monet suos, & nos. *Attendite à falsis*

si Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quia magna virtus hominum est, cognoscere malū, & firma tutela salutis est, scire, quem fugias. Hinc Alphonsus Rex, teste Ænea Silvio de dictis Alph., audiens Antonium Piconum Ordinis Eremitarum, magnum Hypocritam, jactando blasphemias in Christum & Matrem, vermiculis absumptum perijisse, dixisse fertur, propterea Deum in Hypocritas tantopere sævire, quòd, dum Homines decipiunt, interponant Deum tanquam scelerū mediatorē, idēque ut plurimūm viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nōmine fefellissent, ut intelligant mortales, à talibus monstris maximè cavendum esse, quòd Deum ipsum non tantūm post mortem, sed etiam in ipsa vita indubitatum haberent ultorem.

P A R S I V.

DE TENTATIONIBUS
CIRCA TRIBULATIONES
OCCURRERE SOLITIS.

I Duplicis generis sunt Tribulationes, corporales scilicet, & spirituales; illa sunt, per quas corpus immediatè cruciatur; hæ sunt, per quas solus animus affligitur; ab utrisque variæ oriuntur Tentationes, quæ proin per diversa capita rectiùs proponuntur.



CAPUT I.

DE TENTATIONIBVS CIRCA CORPORALES TRIBVLATIONES.

II. **H**Æ præcipuè ex morbis & doloribus corporum oriuntur; quia verò aliquæ harum tentationum sunt omnibus infirmis communes, aliquæ propriæ ijs, qui speciali morbo laborant, ideo utræque cerni, & separatim proponi debent.

§. I.

Tentatio I. Circa molestias & dolores morbi.

III. **A** Natolia devota mulier cùm gravi & diuturna febris afflicta, à confessorio visitaretur, quætur eidem, importabiles sibi morbi & dolorum suorum molestias videri, atque adeò sæpe ad querelas & murmurationes contra DEUM & homines incitati; quæ ob causam remedium ab eo contra ejusmodi tentationes impatientiæ petit. Quæritur qualia sint suggerenda.

Responsio.

IV. Primò suadeat illi, ut Christi exemplum oculis ponat, nam in eo, ut Tertullianus l. de patientia rat, DEUS spiritum suum cum tota patientia collocavit. Hinc ipsemet per Jeremiam Thren. i. hortatur, *O vos omnes, qui transitis per viam; attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Etsi enim nullo unquam laborasse morbo sciatur, meritò tamen vir dolorum & nostras infirmitates portasse dicitur, quia tantum tam intenti fuerunt dolores, & cruciatus, quos in passionem pertulit, ut omnes dolores & tormenta Iesu morum

torum ac Martyrum longissimè superârunt, ut D. Thomas 3. p. q. 64. a. 6. probat, ut meritò æger hoc exemplum ob oculos habens ad seipsum cum Latrone dicere possit: *Nos quidem iustè hac patimur, ipse vero quid fecit?*

V. Secundò illi suadeat, ut Sanctorum gravissimis & maximè diuturnis morbis afflictorum exempla ob oculos ponat, prout etiam prius Author l. 3. de imit. lausit dicens: *Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima.* Servulus mendicus teste Narulol. 5. c. 4. toto vitæ suæ tempore Paralyti laborabat, ita ut movere se non posset, & tamen semper in novis accessionibus gratias Deo agebat unde & Angelorum cantus in morte audivit, & odore suavissimo fragavit. S. Clara per viginti octo annos gravissimis morbis afflicta, nullum sibi dolorem molestum fuisse confessa est, postquam ex S. Francisco Christi gratiam, id est, quanti faciendum sit pati pro Christo, agnovit, ut Surius in vita 12. Jul. refert. S. Lydvina continuis triginta octo annis, extraordinarijs morbis & doloribus sic læto affixa fuerat, ut nec surgere, nec pede terram tangere potuerit, & tamen maximos à DEO favores eo tempore accepit, eodem Surio teste. S. Bona monialis cancro laborans, cum ubera vermibus scaterent, illorum unum, licèt ægrè, S. Dominico petenti porrectum, in gemmam primò, sed mox ubi eum restitui petijt, in vermem iterum conversum vidit. S. Gertrudis, cum Christus ei unâ manu infirmitatem, alterâ sanitatem portans apparuisset, & optionem eligendi fecisset, respondit: *Unicum cordis mei desiderium est, ut non mea, sed tua voluntas fiat;* uti Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 18. narrat; ubi

M

etiam

etiam de Abbate Benjamin testatur, quod, etsi mor-
tos alios solo tactu curare à morbis sit solitus, seipsum
tamen à gravissima hydropis morbo nunquam curare
voluerit, visitantibus dicere solitus; orate DEUM
pro anima mea, de corpore nihil solliciti, quando
lud & sano mihi in re nulla unquam commoda
Quidni ergo seipsam alloquatur Anatolia; Poteris
isti, & ista, & tu non poteris?

VI. Tertiò illi saluberrimam S. Gregorij p. 3. p.
admon. 3. sententiam proponat: *Admonendi
agri, ut considerent, quanti sit muneris ægritudo corpo-
lis, quæ & admissa peccata diluit, & ea, quæ ad
poterant, compefcit. Cui consentiens S. Basilius in
intern. 4. Morbi, ait, sepe flagella peccatorum sunt, in
bus nihil aliud agitur, nisi ut vitam in melius commu-
mus. Quare qui ejusmodi sunt, in vectas sibi acerbo-
ferre silentio debent, quandocunque se peccasse avertunt,
atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini
portabo, quoniam peccavi ei: nec non vitam suam pro
dia emendare, & dignos pœnitentie fructus edocere.*
sic verificetur, quod S. Ambrosius l. 74. dixit: *Infirmitas
corporis sobrietas mentis est: infirmitas virtutis
officina est.*

VII. Quartò illi ostendat, quàm magnum Donum
& beneficium sit ægritudo & infirmitas corporalis,
quod facilè intelliget, si meminerit morbos ligno-
ræ à S. Joanne olim Apoc. 12. in medio civitatis Jeru-
salem conspecto, & duodecim fructus per menses
gulos afferenti comparari, quorum primus est purga-
tio animæ à peccatis. Secundus est mentis illuminatio
ad sui cognitionem obtinendam. Tertius, quod ad
inam ad se redire faciat. Quartus, quod virtutem pro-

bet, & perficiat. Quintus, quod animam possidere faciat. Sextus, quod electionis securitatem, præbeat. Septimus, quod Purgatorij loco sit. Octavus, quod passionem Christi suppleat. Nonus, quod ad DEUM recurrere faciat. Decimus, quod amorem infirmi erga DEUM probet. Undecimus, quod præmium inæstimabile mereatur. Duodecimus, quod consolationum cælestium causa sit; qui omnes fructus fusiùs probati videri possunt in Instruct. 3. fol. 224. Unde merito senex quidam infirmo dixit: Cum Dominus dat infirmitatem, donum adeò pretiosum confert, ut neque si centum quispiam annis pro eo serviret, gratum satis se exhibuisset.

VIII. Quintò jubeat eam divinam Providentiam considerare, hunc morbum ex altissimo fine, scilicet vel ad paternam correptionem; vel ad honorificam virtutis & amoris probationem immittendam, cujus mercedis efficaciam pulchrè olim S. Clemens Pontifex à S. Petro didicit, cum enim hic Sanctus à Barnaba conversus, & ad S. Petrum missus esset, atque ab hoc in disputatione cum Simone Mago sequenti die comparete jussus, ob eandem subito impedimento impeditam, & ad triduum dilatam vehementer doleat, audijt à S. Petro saluberrimam hanc doctrinam: *Gentiles turbantur, cum non accidunt illis res ad votum; at nos Christiani, qui scimus, DEVM sapientissimè gubernare, & per suam providentiam moderari res omnes, in quolibet verum eventum in pace consistimus, & consolatione.* Unde & Blosius in farr. hortatur: Si voluntas DEI tibi dulcis est, quando ipse te sanum esse, & vivere vult; amara verò, quando te vult infirmum esse, vel mori, nondum plenè resignatus es, nondum habes

cor satius rectum. Si vis, ut ipsum cor tuum jam nunc sit curvum, subjunge illud in omnibus voluntati divinæ, quæ semper recta est. Unicè opta, ut semper voluntas ejus in te fiat, & eadem voluntas sit summa consolatio tua. Quare hortetur Anatoliam, ut sequatur tem S. Augustini in Ps. 21. doctrinam applicet, & intelligat, Medicum esse DEUM, & tribulationem morbum esse medicamentum ad salutem, non potius ad damnationem. *Sub medicamento ureris, secaris, & mas, non audit Medicus ad voluntatem, sed audit sanitatem.* Melius enim est, teste S. Bernardo, fangi laboribus ad salutem, quàm incolumes remanere damnationem.

§. II.

Tentatio II. Circa functiones ordinarias à morbo impeditas.

IX. **O** Nuphrius Religiosus, & zelosus admodum Operarius in vinea Domini contracta agnitione, quos visitaverat, calidâ febris, omnes quidem reliquas morbi molestias, & dolores cum magna patientia supportat, hac unica tamen ex causa periculis sibi morbum accidere fatetur, quòd salutem marum non invigilare, & confessionibus audiendis aliisque suis functionibus vacare non possit. Quæ tur, quomodo hæc ei tentatio eripienda sit?

Responsio.

X. Primò illi in memoriam revocet, quid S. Augustinus l. 12. de catech. rud. sapienter advertebat: *Ignoramus, meliusne sit id, quod vellemus facere*

an illud omittere? & si quidem id faciamus ex sensu
duntaxat nostro, non est, cur nobis magnopere de re fa-
cta gratulemur, sed tunc solum, si eam fecerimus, ut
inde placeremus DEO; aequius est enim, ut nos ejus, quàm
ut ille nostram sequatur voluntatem. Nemo sanè melius
ordinat, quid agat, nisi qui paratior est non agere, quod
divinà potestate prohibetur, quàm cupidior agere, quod
humanà cogitatione meditatur.

XI. Secundò illi narret, quid magnus ille & illu-
minatus admodum Asceta Avila to: 2. Epist. ad ægro-
tum quendam Sacerdotem scripserit in hæc verba: Non
cogitare debes agrotus, quid faceres sanus, sed contentus
esse; ut, si DEO placeat, sis infirmus. Et, si tu, quod
spero, facis, purè quaris DEI voluntatem, quid tuâ
interesse sanusne sis, an ager? quandoquidem ipsius
voluntas totum nostrum bonum est.

XII. Tertiò illi referat, quid si Balthasar Alvarez
cui idem ferventi operatio ægrotanti, & conquerenti,
quod ob morbum non orare, nec sacrum facere, nec
confessiones audire, aliâque munera, quæ sanus præ-
stiterat, obire possit, responderit, nempe pluris face-
re DEUM, quod quis eum per mensem sustineat,
actulerit, quàm quod in huiusmodi ministerijs per in-
tegrum annum illi serviat. Et rectè, cum enim DEUS
vult Religiosum agrotare, nihil ille tunc facere po-
test, quod ejus Divinæ Majestati magis placeat, quàm
tolerare bene, quod ille mittit, & propterea, quia ille
mittit. Id quod etiam S. Chrysostomus confirmat,
asserens, S. Job plus placuisse, quando dixit: sicut Do-
mino placuit, ita factum est, sit Nomen Domini be-
nedictum, quàm meruerit omnibus suis eleemosynis,
quas sanus & dives fecerat; cui consonat etiam S. Bo-

naventura l. 2. de perf. relig. c. 36. dicens: *Perfektum est adversa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare.*

XIII. Quartò eidem ostendat, quòd, cum per functiones illas, quas per morbum omittere cogitur utique nihil aliud intendat, quàm laudem & gloriam DEI, hunc ipsum finem efficacius, & copiosius continere possit, si in morbo DEI voluntati perfectè resignet, cum nulla DEO major gloria obtingere possit, quàm si homines eum ut supremum Dominum agnoscant, & venerentur, ideòque sanctissimam voluntatem semper & ubique cum magna perfectione adimplere studeant; si ergo DEI voluntatem ut nunc ægrotet, ut per morbi tolerantiam promoveat DEI gloriam, quidni æquè libenter nunc in lecto ætius jaceat, & suspiret, quàm in confessionali sedulo aut per civitatem discurret?

XIV. Quintò illi exemplum S. Pauli proponat, in medio prædicationis, cursu, cum Ecclesia vel maxime ejus operâ indiguisset, in carcere per totum biennium detentus est. Imò magis exemplum ipsius Christi, qui, cum per triginta annos, quibus vitam perfectam egit, haud dubiè totum modum convertere potuisset, cum summa tamen quiete omnes ejus functiones ad salutem animarum procurandam deestè pertinentes omisit, quia hoc æterno Patri magis placere advertit; quidni ergo & ipse, qui neque Ecclesiæ tantopere necessarius est, ut S. Paulus; neque tantopere salutem animarum procurare potest, Christus, ob idem DEI placitum ordinarias suas functiones, intermittat? maxime cum ipsas morbi molestias & dolores pro ijs, quibus prodesse cupit, offerat.

Perfectorumque efficacius fortè eorum commodum promove-
re, quam per consuetas suas functiones possit.

§. III.

Tentatio III. Circa lucrum temporale à morbo im-
peditum.

XV. **G**ervasius honestus civis & opifex gravi &
diuturno morbo laborans, visitatus à suo
confessario, & interrogatus, an non tentationem a-
liquam in morbo tam longinquo fuisset expertus, re-
sponder, hac unica de causa morbum sibi admodum
molestum esse, quòd lucrari hoc tempore nihil possit,
cum tamen tale lucrum ad se, familiamque susten-
tandam summè sibi sit necessarium. Quæritur quo-
modo contra talem tentationem muniendus sit?

Responsio.

XVI. Primò illi ostendat, quòd, cum ex ipsa mor-
bi quantitate & diuturnitate à DEO, permessa, cla-
rè cognoscat, nolle DEUM, ut ijs pecunijs, quas in-
terea lucrari potuisset, fruatur, hoc ipso illas non ap-
petere, atque adeò nec tritari ob earum carentiam
debeat, sed in sola DEI ordinatione acquiescere, fir-
missimèque sibi persuadere, quòd DEUS utiliore
ipsi talem carentiam fore cognoverit, atque adeò ex
singulari affectu paterno permiserit. Quod confir-
mans D. Hieronymus ep. 12. *Melius est, inquit, rem
familiarem minui, quàm salutem animæ perire. Me-
lius est amittere, quod, velimus, nolimus, aliquando
perituum est ac Sponte dimittere, quàm id amittere. id
est, DEUM, pro quo omnia dimittenda sunt.*

M 4

XVII.

XVII. Secundò eidem in memoriam revocet commune Patrum Spiritualium axioma, quo dicitur: *Lucrum, quod propter virtutem dimittitur, per virtutem melius recuperatur*: horretur proin, ut & ipse lucrum, quod sanus obtinere potuisset, ex amore DEI & desiderio se plenissimè ejus sanctissimæ voluntati conformandi libenter dimittat, nec dubitet, DEUS (si quidem ad ejus utilitatem conducere viderit) abunde compensaturum, uti ex S. Jobi exemplorissimè colligi potest, qui, quia rapinam bonorum suorum patienter sustinuit, omnia postea duplicatè fœnore recepit.

XVIII. Tertio eidem ostendat, quanta cum licitudine & providentia DEUS volucres, pisces, feras, aliasque animantes enutriet; quanto magis ergo hominem, propter quem hæc omnia creatura suâ providentiâ sit destitutus, uti Christus sat clamat Matth. 6. *Respicite volatilia cœli, quoniam non curant, neque metunt, neque congregant in horrea; tamen Pater vester cœlestis pascit illa; nonne vos magis pluris estis illis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua comparatus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, DEUS sic non facit, quanto magis vos modica fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Genesius inquit, scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Querite ergo primum regnum DEI, & omnia ista adjicientur vobis.*

XIX. Quirto ei ostendat, quòd, etiamsi istam sollicitudinem foveat, & dies, noctesque continuet, non modò nihil de lucro illo obtenturus, sed potiùs eidem acquirendo plurimùm obfuturus sit, cùm nihil Deo magis displiceat, quàm diffidentia de ipsius bonitate & auxilio concepta, atque adeò, sicut olim propter similem diffidentiam à Moysè, & reliquis Israëlitis conceptam eosdem ab ingressu in terram promissam prohibuit, ita ipsum quoque propter similem causam lucro sperato sit privaturus. Ut nihil dicatur de aliis damnis, quæ ipsi talis sollicitudo afferet, nam & morbi molestias augebit, non modicè, & ab oratione aliisque piis exercitiis multùm impediatur, & in gravem animi pusillanimitatem non sine grandi animi afflictione incidet. Hortetur ergo, ut potiùs jactet curam suam in Domino, sibique dictum putet, quod aliquando Christus piæ cuipiam Virgini dixit, Esto tu sollicita pro me (mihi fideliter serviendo) & ego ero sollicitus pro te, omnia necessaria abunde providendo.

§. IV.

Tentatio IV. circa molestias à morbo aliis sanis creatas.

XX. Acobe pia & devota Virgo advertens Parentes suos tam graves pro ipsa sollicitudines generere, tamque grandes pro morbi curatione impensas facere, vehementer affligitur, quòd tantas ipsis morbo suo molestias creet; nec illis solùm, sed aliis etiam, qui ipsi servire in morbo, & omnia necessaria subministrare sunt jussi. Quia ergo hanc suam tentationem Confessario suo aperuit, quæritur, quomodo eam solari

solari, & contra prædictam tentationem armare debeat?

Responsio.

XXI. Primò illi ostendat, hoc esse quoddammodo Parentes, & illas, quæ ipsi serviunt, judicare quasi modicam charitatem erga Deum & proximum haberent, minùsque se voluntati divinæ conformari nòssent; si enim de his meliorem, ut decet, opinionem haberet, facilè sibi persuasuram, quòd & parentes & ministrantes voluntatem DEI Sanctissimam, perinde ut illa consideraturi, & approbaturi, atque adeò felices se judicaturi sint, quòd occasionem habeant, suam erga DEUM & ipsam, charitatem demonstrandi.

XXII. Secundò illi demonstrer, quòd, etiam nec parentes, nec ministrantes suum in hoc facere officium, & cum patientia debita creatas sibi per hoc morbum molestias sufferrent, minimè tamen hoc sufficere debeat, quòd minùs ipsa voluntati divinæ accommodare, & hanc ipsam etiam illorum impatientiam aut indignationem velut non modicam concessionem & aggravationem morbi tanto majori patientia supportare debeat, quantò minus voluntariè se ejusdem causam peccato aliquo fuisse cognoscit.

XXIII. Tertiò ostendat illi, quòd, sicut, testis Salomone, cùm placuerint Domino viæ hominum, etiam inimicos convertet ad pacem, ita pari modo si ipsa studuerit, magnam in omnibus morbi suis molestiis patientiam, ac conformationem cum divina voluntate demonstrare, & frequenter pro exhibitis sibi in morbo beneficiis & ministeriis gratias persolvere.

rogareque, ut creatas sibi molestias ignoscant, sperari meritò posse, quòd & eorum corda, tantæ submissionis & patientiæ exemplo emollienda, atque adeò magna cum charitate & patientia omnes impensas, aliæque obsequia ipsi exhibituri sint.

XXIV. Quartò illi ostendat, quid olim P. Balthasar Alvarez Societatis JESU Presbyter in discursu super quinque fontibus, ex quibus materia patiendi oritur, cum Maria Diazia devota Virgine habito dixerit, videlicet quartum fontem esse, quando advertimus parentes & cognatos nostros gravi afflictione, cujus tramen nos nulla causa fuimus, premi; tales enim tribulationes & dolores ipse similes bolo carnis nullum os habentis esse dicebat, cum hoc ipso, quòd nulla nostra culpa intervenerit, totæ quodammodo in substantiam, id est, meritum nostrum convertantur. Hortetur ergo & ipsam, ut hanc doctrinam, animo suo bene imprimat, atque adeò hunc tam pinguem bolum cum magna aviditate sumere, & decoquere, id est, in suam utilitatem convertere studeat.

S. V.

Tentatio V. circa Podagra & Chiragra dolores.

XXV. **G**ervasius Senator, postquam diuturnos, gravissimòsque Podagræ ac Chiragræ dolores per aliquot annos tolerasset, frustra que plures Medicos & Medicinas in auxilium vocasset, tandem impatientiâ victus, Pastorem suum advocat, eique lamentabili voce queritur, se à morbo hoc propè ad insaniam adigi, neque parem esse, tantis doloribus

&

& cruciatibus amplius ferendis. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem roborandus sit?

Responsio.

XXVI. Primò illi suadeat, ut exemplum Christi crucifixi ob oculos ponat, qui in manibus, pedibusque cum summo cruciatu perterebratus, & cruciatus est, quem quidem dolorem omnium, quem passus fuerat, gravissimum extitisse, ipsemet S. Beatus gittæ & aliis personis revelavit, teste Lodolpho; ergo S. Franciscum Seraphicum, & S. Catharinæ Senensem felices judicat, quòd Sacra Christi stigmata corpori suo impressa habuerint, & dolorem quem Christus in his membris passus est, similem leserint; quidni & ipse specialem sibi gratiam facere existimet, si Christo quoad dolorem in his membris assimilari queat.

XXVII. Secundò illi exemplum simul, & modum à S. Gregorio Magno relictum proponat imitandum, qui in primis gravitatem suæ podagræ lib. 7. ep. 33. sic describit: *Ecce jam biennium propè expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagra doloribus affligor, ut vix in diebus Festis usque ad horarum transspatium surgere valeam, & Missarum solemnia celebrare. Mox autem cum gravi cogor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim interrumpente gemitu rare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius; sed neque ita lentus, ut recedat: neque nimius, ut interficiat. Vnde fit, ut, qui quotidie morte sum, quotidie repellar à morte. Quo autem medio fit usus, lib. 7. epist. 25. his verbis describit: Podagra doloribus torqueor, qui & mihi, & vobis mori dispertit.*

dispariter nocivi sunt. Inter quos quid aliud debemus,
nisi nostra delicta semper ad memoriam revocare, atque
omnipotenti DEO gratias agere? quoniam qui ex car-
nis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictio-
ne purgamur. Sciendum quoque nobis est, quia
pœna præsens, si animum afflictum convertit, finis est
culpe præcedentis; si autem ad timorem Domini mi-
nimè convertit, initium est pœna sequentis. Curan-
dum igitur est, ne de tormentis ad tormenta transe-
amus.

XXVIII. Tertiò ostendat, quàm beatos se sancti
Martyres iudicârunt, si pro Christo vincula in mani-
bus & pedibus portare potuerint, ita ut S. Chrysost.
hom. 8. in epist. 5. Pauli ad Eph. dicere ausus sit: Si
quis mihi daret totum cœlum, aut Pauli catenam, ego
illam præferrem. Si quis me apud Superos collocaret
cum Angelis, aut cum Paulo victo, eligerem carce-
rem & vincula. Nihil est melius, quàm mala pati
propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum,
quod raptus sit in tertium cælum, quàm eum censeo bea-
tum propter vincula. Mihi est optabilius, mala pati
pro Christo, quàm honorari pro Christo. Hoc est glo-
ria, quæ omnia superat. Cùm ergo & Gervasius à
podagræ & chiragræ morbo velut vinculis in manibus
& pedibus sit constrictus, an non se quoque felicem
iudicare debebit, si hæc non coactus propter sua pec-
cata, sed voluntariè ex amore DEI, desiderio Chri-
sto se conformandi libenter patiat.

XXIX. Quartò ei in memoriam revocet, quoties
viderit, vel etiam omnino expertus sit, amantes in signū
amoris ad eò manus comprimere, ut ferè præ dolore
exclamare cogantur, & tamen hanc compressionem
libenter

libenter, & cum voluptate tolerati, eò quòd atque
 tis in comprimente amoris sit testimonium; et
 ergo non & ipse à Deo per chiragram præmi patitur
 cùm compressio hæc multò certius sit signum amoris
 divini erga ipsum concepti. Ita certè jam olim Chri-
 stus B. Baptistæ Veranæ (ut p. 4. Chron. Franc. l.
 c. 24. videre est) revelavit dicens: *Recordare, magis
 me tibi ostendisse signum amoris, dum te affligerem
 quàm dum te tenerem arctè in dulcissimis brachiis,*
 autem non jucundum accadat, in brachiis Christi
 & multò magis in pectore per amorem quiescere
 certè S. Chrysostomo teste, nihil tam præclarum
 ad gloriæ rationem & fiduciæ, quàm à DEO diligere
 & ipsum diligentem tanquam Deum diligere.

XXX. Quintò denique eidem natret, quid ob
 Septimus Severus Imperator fecerit, dixeritque;
 enim podagrâ laboraret, & ob id à quibusdam, qui
 illius Antoninum Imperatorem dixerant, irrever-
 ter tractaretur, lecticâ se in tribunal deferri iussit,
 tatisque contemptoribus, eosdem securi percussit.
 Cùm verò illi suppliciter procumbentes veniam pet-
 peterent, nunc tandem inquiebat, intelligitis, me
 pedes, sed caput impetare. Idem ergo & sibi
 plicet Gervasius, meminèritque, non pedes, sed
 caput regnare, & bona multa præstare in hominibus
 uti sapienter indicavit Petrarcha l. 2. Dial. 84. dicens
*Ad alia, si nescis, altiora officia natus es, quæ, si caput
 non agrotat, exequi nil prohibet. Studere licet artem
 ingenuis, dare operam pietati; Servare iustitiam
 fidem; fragile corpus & fugacem mundum spernere
 odisse vitia, amare virtutes, colere amicitias, con-
 patriam juvare: hæc sunt viri boni munimina, quid
 pedibus loci est?*

§. VI.

Tentatio VI. circa Calculi dolores.

XXXI. **P**rotasius civis honestus, & pius adeò graviter per calculum & arenam in vesica latentem cruciatum se fatetur, ut præ dolore nil pium cogitare, nil orare, nil homine dignum agere queat, sed solum gemere, eiulare, miserumque suum statum deplorare cogatur. Rogat proin Pastorem suum, ut consilium, remediumque suggerere dignetur, quomodo se in tantis doloribus solari, & contra impatientiam defendere possit. Quæriter, quale remedium illi sit suggerendum?

Responsio.

XXXII. Primò illi demonstret, quàm benigne & amanter Deus cum illo agat, dum, sicut Nautæ, ut navim contra ventos defendant, & felicius ad portum deducant, arenâ & lapillis onerare solent, ita & DEUS lapillis & arenâ vesicam illius implevit, ut tantò securior à ventis tentationum viveret, & certius ad portum æternæ felicitatis perveniret; neque enim, ut Blossius c. 8. inst. spir. ait, certius electionis divinæ signum habetur, quàm si quis tribulationem patienter, humiliterque propter DEUM sustineat; illa enim est pretiosus annulus, quo DEUS sibi animam desponsat, uti DEUS olim S. Gertrudi ostendit; cuius annuli gemmam pretiosam proinde calculum suum esse, sibi persuadeat Protasius.

XXXIII. Secundò illi ostendat, quod, sicut arena olim apud Veteres erat theatrum, in quod ascendeabant ii, qui certando fortitudinis laudem & præmium obtinere cupiebant, quibus proin in signum

gnum obtentæ victoriæ calculus candidus offertur S. Da
 tur; ita Deum ex speciali benevolentia arenam illi præ
 parasse, in qua præclaram contra impatientiam, mæ
 marationem, aliâque ejusmodi vitia in morbis præ
 pue committi solita præliandi occasionem habere
 Studeat proin fortiter certare, ut mereatur candidum
 illum calculum, de quo DEUS apoc. 2. dixit: *Vo*
centi dabo manna absconditum, & dabo illi calculum
candidum, & in calculo nomen scriptum, quod nemo
scit, nisi qui accipit. Quæ verba explicans D. Ambro
 us, potest, inquit, per calculum, noménque in eo
 ptum, beatitudo cœlestis Patriæ designari; ut per cal
 lum significetur cœlestis Patria, per nomen autem
 scriptum beatitudo cœlestis Patriæ figuretur, hoc
 nomen nemo scit, nisi qui accipit; quia, quanti
 beatitudo cœlestis, nemo scire valet, nisi qui ad cœlestem
 Patriam pervenire meruit juxta illud Isaia 64. c. *non*
vidit, DEVS absque te, quæ præparasti, exspecta
tibus te.

XXXIV. Tertiò illi ostendat, quòd, sicut græ
 ut securiores per aëra volent, & contra insidias aë
 rapacium, ventosque vehementius flantes se de
 dant, arenam devorant, per quam graviores redol
 tur: lapillum autem in os recipiunt, ne clamore
 prodant; ita & DEUS arenam & lapillum in vesica
 immiserit, ut ipsum contra ventum elationis, &
 dias Diaboli tantò fortius protegat; certè experientia
 diuturnâ compertum est, ejusmodi calculolas Pe
 nas à multis tentationibus, quibus sani subiecti
 rant, per immisum calculum aut arenam fuisse
 raros.

XXXV. Quartò illi in memoriam revocet, quòd
 S. Da

S. David Ps. 93. dixerit : *Secundum multitudinem dolorum, consolationes tue latificaverunt animam meam.*
 Cum ergo, Plinio teste, omnium morborum gravissimi & asperissimi cruciatus & dolores sint ij, qui per calculum excitantur, meritò sperare poterit, majores quoque tum in hac, tum in altera vita consolationes ei conferendas esse, si patienter dolores hos sustineat, & cum Christi doloribus uniat; sic enim implebitur illud S. Pauli 2. Cor. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Itaque soletur se illâ Siracidis c. 1. sententiâ: *Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis.*

XXXVI. Quintò eidem suggerat, quòd sicut olim accusatis liberatio per album calculum conferebatur, ita & ipse per hunc suum calculum non tantùm à culpa & pœna æterna peccato debita, sed etiam temporali Purgatorij magna ex parte absolvetur; idcirco enim, teste S. Gaudentio Brixie Episcopo, *pudicè conversantem, nunc tribulationum & agritudinum flagello castigat, ne in illo sordium aliquid futurus ignis inveniat, sed ut per exiguas plagas brevissimi temporis, ab omnibus purgatus maculis securior ad æternam vitam & requiem migrare mereatur.* Si ergo S. Stephano lapides torrentis dulces fuerunt, quia vidit cœlum apertum, & JESUM stantem à dextris virtutis DEI, quasi Judicem ab omni reatu absolventem, & quasi Præmitatorem beatitudinis promissæ coronam offerentem, quidni & ipse Protasius calculos suos simili consideratione & promissione dulces, gratosque efficere queat?

Tentatio VI. Circa Famis molestiam.

XXXVII. **O**swaldus pauper Rusticus & multorum liberorum Pater, ortâ ingenti sterilitate & annonæ caritate, adeò gravi ob inopiam suam premittitur, ut non nisi modicum panis asperitum vix ad vitam sustentandam sufficientis tam ipse, quam liberi pro quotidiano victu habeat; ex quo non dicè à pusillanimitatis, tristitiæ & desperationis tentatur, & agitur. Quæritur, quomodo concilium armandus sit?

Responsio.

XXXVIII. Inprimis illi narret, quid olim Cælestis Novitio cuiuspiam asperitatem Ordinis sui diffusi ter ferenti suaserit, ut scilicet omnem asperitatem in sanguinem lateris sui intingeret, sic enim petrus panis durus & asper dulci liquori immersus, datus ipse ac mollis, ac cum voluptate comestibilis efficitur ita & quaecunque ipsius asperitatem cum asperitate Christi passionibus collatam facillè emollitum, ac speciali difficultate supportatum iri; parva enim mensura, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui vivit ad cælum, ait Cassiodorus. Nec servus famem suam modicam sentiet, qui famem Domini quinquaginta dierum spatio toleratam perpendit.

XXXIX. Secundò eidem narret, quid olim invitando Monacho contigerit, quòd nempe, cum in culo delicatè olim enutritus, crassiores in Monasterio appositos cibos comedere se non posse putaret, quidam S. Petrus, & Honoratus, qui olim Abbas

Monasterij fuerat, in refectorio tempore prandij apparuerint, & de pyxide, quam in manu habebant, cuius Religioso, excepto Rabando, succum aliquem super olus in scutella appositum effuderint, iterumque exparuerint. Cùm ergo Rabandus curiositate ductus, modicum de scutella assidentis rapuisset, & gustasset, tantum in eo dulcedinis sensit, ut nihil tam dulce, gratumque unquam gustasse affirmaret, & deinceps omnes, quantumcunq; insipidos & crassos cibos libenter comederit. Hortetur ergo Olsvaldum, ut & ipse similem succum imponat panis suo aspero, id est, voluntatem & providentiam divinam omnia sapientissimè disponentem, & in majus bonum hominum ordinantem consideret, & haud dubiè contentissimus erit aspero pane suo, Deumque pro tam paterna dispositione benedicet, & laudabit.

XXXX. Tertio ei in memoriam revocet, quàm multi olim Eremitæ voluntariè tam tenuem victum elegerint, soloque pane & aqua per multos annos contenti vixerint; certè S. Paulus Eremita ipse fassus est, sexaginta annis quotidie à corvo dimidium panem fuisse allatum, quo proin solo, & modicæ aquæ haustu ipse se pavit, vitamque conservavit; quidni ergo & ipse modico suo pane ob amorem & voluntatem DEI contentus vivere, Dei que ordinationi acquiescere possit.

XXXXI. Quarto illi ostendat, quemadmodum illi, qui ad splendidas nuptias aut opiparum convivium invitati sunt, ultro domi à vilioribus cibis abstinent, ut majorem sibi famem concilient, & tantò jucundiùs, avidiusque meliores escas degustare queant; ita & ipsum libenter in hac vita modico tempore famem pati debere,

re, ut in altera vita tantò suavius & copiosius celestibus olim cibus, deliciisque frui possit.

XLII. Quintò illum meminisse jubeat, quod Christus olim Apostolis Jo. 4. dicentibus: *Rabbi munda: responderit, nempe: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Idem ergo & ipse dicat, & cum DEUS corporalem cibum subtrahat corpori, mentem saltem spirituali cibo voluntatis divinæ tantò abundantius pascat; neque bitet, quin suavissimè sit eo reficiendus, ipsamque corporis famem faciliùs toleraturus. Sic certè S. Columbanus se solatus est, cui, cum Diabolus vasculum quæ quotidie ab alio Monacho apportari solitæ esset, nihil aliud dixit, quàm hæc verba, *Benedictus DEUS meus, quod dignetur servum suum longè jejuniis probare.*

XLIII. Sextò eidem suadeat, ut providentiam DEI in irracionales creaturas per alimentorum provisionem tam abundanter ostensam consideret, & inde colligat, DEUM multò magis homini, propter quem illa omnia creata sunt, necessarium victum negaturum, nisi hîc & nunc ob altissimas causas mem & inopiam magis ei utilem fore judicaret; quiescat ergo tam paternæ providentiæ, jactans omnem curam & sollicitudinem suam in Domino, certò confidat, quòd, sicut jam olim frequentè tranquillitati maximæ summa abundantia successit, ita & DEUS, si ad majorem gloriam suam, hominum salutem expedire judicaverit, facillimè possit, statum tatem auferre, sicque verificare illud Ps. 144. *Omnia in te sperant Domine, & tu das escam illis in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, & implebis omne animal benedictione.*

§. VII.

Tentatio VII. Circa mortis timorem.

XLIV. **C**Assianus Maritus plures habens soboles, & uxorem admodum charam, denunciato mortis periculo, in gravem tristitiam & tentationem incidit, tum quòd uxorem & liberos tantopere dilectos deferere: tum quòd in flore ætatis vitam abruptum cogatur, nec partis tanto labore bonis frui possit. Quæritur, quomodo armandus sit contra ejusmodi tentationem?

Responsio.

XLV. Inprimis illi ostendat, quòd, cùm omnibus hominibus semel statutum sit mori, nulla melior hora ad mortem eligi queat, quàm illa, quam sapientissima Dei Providentia cuique homini destinavit; si ergo sanguinem missuri illud tempus ad Phlebotomiam eligimus, & optimum credimus, quod Medici & Astronomi, qui tamen falli possunt, assignarunt, quantò magis animam emissurus, illam horam & diem aptissimum esse pro hoc fine credet, quem DEUS infallibilis & sapientissimus ei præscripsit. Quam totam doctrinam præclare confirmans S. Cyprianus l. de morte, *meminisse, inquit, debemus, nos non nostram, sed Dei facere debere voluntatem, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quàm preposterum est, quàmque perversum, ut, cum DEI voluntatem fieri postulemus, quando evocamus, & accersit de hoc mundo DEUS, non statim voluntati ejus imperio pareamus.*

XLVI. Secundò illi demonstret, quòd, si semel hora mortis illi decreta sit, velit, nolit, mortem

tem obire debeat; an non ergo confultius erit, si
 necessitate virtutem faciat, & cum magno suo me-
 to, & speciali Dei beneplacito promptè & libenter
 mortem acceptet de manu Dei, quàm ut cum repug-
 nantia eandem obcundo, graviores sibi illam effu-
 dat, ingens meritum amittat, & pœnas etiam pro
 gatorii graves sibi accersat. Ita sanè jam olim
 S. Chrysostomus super c. 10. Matth. dicens: *Fac
 voluntarium, quod futurum est necessarium: offerimus
 DEO pro munere, quod pro debito tenemur re-
 dere.* Certè P. Petrus Faber è Societate JESU
 mortem apparens cuiquam dixit, se specialem propi-
 rea gloriam in cœlo obtinuisse, quod mortem
 obedientia obiêrit.

XLVII. Tertiò illi significet, quid memor
 S. Cyprianus l. c. dixerit: *Quod interim morimur
 ad immortalitatem morte transgredimur: nec potest
 aeterna succedere, nisi hinc contingeret exire: non
 exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decemur
 ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora festinet
 quis non reformari & mutari ad Christi speciem,
 ad cœlestis gratia dignitatem venire citiùs exoptet? E-
 st in mundo diu velle remanere, quem mundus
 elat, quem saeculum blandiens, atque decipiens,
 cebris terrene voluptatis invitat: Porro cum mori
 oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit,
 non magis sequeris Christum, qui te redemit, & dis-
 git? Meritò ergo S. Bernardus ep. 105. monet:
 te mortem, etsi non effugere, certè vel non timere.
 stus quippe mortem, etsi non cavet, non tamen pavet.
 Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio
 Hoc certè Conradus S. Dominici Discipulus,
 Sande*

erit, unde I. I. Schism. Anglic. agnovit, dum mortuus
 suo magis ad adstantes dixit: Scitote, Fratres, quod mor-
 & libenter, quia in fide Christi, & Ecclesiæ: li-
 cum tepenter, quia cum bona conscientia, & in DEI gratia:
 illam est fiducialiter, quia spero, me in gaudium Domini
 etiam pertransitum: hilariter, quia in requiem Domini pro-
 olim transiero.

XLVIII. Quarto ei ostendat variis rationibus &
 similitudinibus, quod mortem libenter appetere de-
 beat; an non enim anima in corpore tanquam in car-
 cere, & in exilio habitat? cur ergo non libenter ac-
 ceptet mortem, quæ carceris januam aperit, & vin-
 acula dirumpit, ut in patriam omni deliciarum gene-
 re abundantem transire possit? an non sponsa pere-
 grè profecta desiderat amplexus & præsentiam sponsi?
 an non operarius gaudet abire ex vinea in domum
 Patris-familias, ut denarium diurnum accipiat? an
 non ipsa jumenta magis cursum accelerant, & ele-
 menta velocius moventur, si propria stabulo vel
 censtro comperiuntur? an non miles desiderat manu
 mitti, & partâ prædâ cum gaudio & securitate frui?
 Hoc ipsum S. Chrysostomus hom. 46. de temp.
 sequentibus similitudinibus declarat: *Omnibus labo-
 rantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat,
 ubi est mansio? Mercenarius frequenter cogitat, quan-
 do annus completur. Agricola semper tempus messis
 expectat. Negotiator die ac nocte theca sua discutit ra-
 tionem. Mulier pragnans semper de decimo mense co-
 gitat, sic & servi Dei libenter de consummatione sæculi
 requirunt; scriptum est enim, ubi est thesaurus tuus,
 ibi est & cor tuum.*

XLIX. Quinto eripere illi conetur sollicitudinem

de conjuge & liberis, ostendendo, quòd omnē latiam, quod ex illis hactenus percipiebat, aut deinceps sperare poterat, infinities melius in DEO fructu perturus: Sed & in cœlo plùs ipsis prodesse precibus suis possit, quàm in terris profuerat. Imò & De illos suâ providentiâ non sit destitutus, utpote corpus & animam illis dedit, atque adeò potiori iur quam ipse, Pater dici meretur, & haud dubie patris officium perfectissimè implebit. Hortetur ergo ut omnem sollicitudinem projiciat in hunc Patrem quoniam ipsi erit cura de Filiis, & uxore.

L. Sextò amorem quoque bonorum relinquendorum eripere eidem studeat, ostendendo, quàm meliorem substantiam in cœlo repositam habeat, & dicetur illi: *Veni, ego ostendam omne bonum tibi.* ergo Christiani olim, teste S. Paulo Hebr. c. 10. rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt, quia cognoverunt, se habere meliorem & manentem substantiam in cœlo asservatam; quidni & ipse obviabilem causam bonorum suorum rapinam æquillè & exultante animo acceptet, & cum S. Paulo contra terrena arbitretur ut stercora, non ut Christum detaxat, sed DEUM, ejusque visionem lucretur. Præterea quòd hæc ipsa terrena bona non teneant perdere, sed secum auferre possit, si videlicet capta DEI voluntatem dispensare, & per pauperum & aliorum piorum hominum manus in cælum prætere velit; ut adeò causam non habeat, cur de illorum amissione tantopere doleat.

os (o) so

CAPIT

CAPUT II.

DE TENTATIONIBUS CIRCA SPIRITUALIA BONA OCCURRENTIBVS.

LI. Inter has tentationes præcipuè numerantur Persecutiones, Convitia, Detractiones Injuriaz, Judicia temeraria, Inimicitiaz, mali mores, contemptus, falsa accusatio, postpositio, & similia, de quibus proin in hoc capite eodem ferè ordine erit agendum.

§. I.

Tentatio I. Circa Persecutiones.

LII. Nicolaus Aulicus Vir piissimus, & recti amans, N ideoque ad varios honorum gradus promotus, gravissimas patitur persecutiones tum à malis Aulicis illud Sap. 2. usurpantibus: *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis. Contumelià & tormento interrogemus eum, ut faciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius: tum ab iis, quos vel ab injustitiis exercendis cohibebat: vel ob commissas puniebat; unde graviter se ob ejusmodi persecutiones interdum affligi, & tentari facetur. Quæritur, quomodo contra ejusmodi tentationem roborandus sit?*

Responsio.

LIII. Inprimis ipsi Christi exemplum ob oculos proponat, qui Apostolos suos ad ejusmodi persecutiones fortiter tolerandas animaturus Jo. 15. dixit:

N s

Memen-

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Imò de facto, quotiescunque ipse Nicolaus, aut alius quicumque persecutionem patitur, cum illis eandem simul patitur, uti satis clare S. Paulo Act. 9, ostendit, dum eidem Christiano persequenti dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? super quæ verba S. Augustinus in Pl. 30. sic scribit: Non ait Christus: quid sanctos meos, quid servos meos sed quid me persequeris? Caput pro membris clamat vocem namque pedis suscipit lingua, quando forte turba contritus pes dolet, clamat lingua: calcas me non ait, calcas pedem meum, sed se dicit calcari, quod pes, qui calcatus est, à lingua separatus non est. Unde merito S. Paulus 2. Tim. 3. dixit: Omnes, qui volunt vivere in (& cum) Christo, persecutionem patientur. Et idipsum S. Hieronymus ep. 1. Eusebii, ait, si putas unquam Christianum persecutionem non pati.

LIV. Secundò in memoriam illi revocet, quod Christus olim iisdem suis Apostolis, imò Christianis omnibus Matt. 5. dixerit: *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et iterum: Beati estis, cum maledixerint vobis & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Si ergo meritò felicem se putaret, si certum prædestinationis signum habere posset, quidni persecutionem libenter patiatur, ob quas ab ipso Christo regnum cælorum, & æterna beatitudo ipsi promittitur? S. Ambrosius

proficius certe dicere non dubitavit s. 12. in Pl. *Fortasse cum persecutionem non patimur, tanquam condemnati habemur.*

LV. Tertiò illi ostendat, quòd, sicut illi, qui altioribus & severioribus scientiis student, à Professoribus aut parentibus Theses publicas ad ostendendum profectum suum habere, & defendere jubentur, & in tali casu eos, qui contra ipsos acriter argumentantur, non tanquam Hostes, sed Amicos & Benefactores agnoscunt, ideòque in fine gratias agunt pro doctissimis argumentis; ita & DEUM dare dilectissimis Filiis suis occasionem ad suæ virtutis profectum demonstrandum, & Persecutores velut argumentantes subornare; uti jam olim Tertullianus in apologeto indicavit, dum sic alloquitur Tyrannos, qui Fideles persequiebantur: *Cruciate, torquete, dammate, atterite nos; probatio est innocentie nostræ iniquitas vestra; ideo nos hæc DEVS pati patitur.* Quidni ergo avidè arripiat occasionem istam, & honori sibi ducat, quòd præ aliis dignus sit æstimatus, ut publicum profectus sui specimen non tam ipsi mundo, quàm Deo & cælitibus universis præbere possit.

XVI. Quartò illi ostendat, quantum etiam ad ulteriorem profectum faciendum in perfectionis & virtutis studio conducant ejusmodi persecutiones; sicut enim animalia Silvestria, ut cervi & apri, quæ canes sunt persecuti, meliora plerumque & lapidiora sunt, quia ex ebullitione sanguinis, ac timore & calefactione motus caro redditur tenerior, & ad comedendum lapidior; ita Deus eos, quos ad mensam sive gloriam cœlestem præparat, solet malorum hominum persecutionibus exponere, ut aptiores ad vitam æternā efficiantur.

efficiantur; hinc teste Apostolo Hebr. 11. alii diffusi sunt, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, angustiiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

LVII. Quintò denique eidem ostendat, quòd, sicut ij, qui per sequuntur ipsum, habent Diabolum assistentem, ita ipse habeat DEUM protegentem, & que ad eò causam non habeat timendi damnum ex persecutione; id quod S. Cyprianus de exhort. Mart. c. 10. eleganter confirmat, offerens locum Exod. 1. *Quanto magis opprimebant eos (nempe Ægyptij Filios Israël) tanto magis multiplicabantur, & crescebant: sic super eo discurret: Ex hoc loco perquam necessaria nobis traditur admonitio, nempe timendum non esse injurias, & poenas persecutionum; quia magis est Dominus ad protegendum, quàm Diabolus ad pugnandum.* Hinc, ut idem Author in Apol. adv. Demetrium ait, *nunquam impiorum crudelitas in nomen Christianum exurgit, ut non statim divinitus vindicta comitetur; & quanto magis fuerit persecutio injuria, tanto & illustrior fiet, & gravior pro persecutorum vindicta; uti in persecutionibus Romanorum Cæsarum videre est.*

S. II.

Tentatio II. Circa contumelias, & convitiis.

LVIII. **I**uliana Uxor sævissimum & summè iracundum habens Maritum, quotidianis ab eo contumelijs, convitiisque ad eò laceffitur, ut prope intolerabile

terabile sibi per illa jugum Matrimonij effici fateatur, ideoque Confessario hanc suam tentationem aperit, ab eoque remedium petit. Quæritur, quomodo illi sit obviandum?

Responsio.

LIX. Primò illi memorabilem Origenis sententiam ho. 2. in Ps. 37. referat: *Impossibile est homini, in hac vita omnibus satisfacere, & ab omnibus laudari. DEVS ipse odio habetur & maledicitur à multis, dicente Propheta: Nōne, qui oderunt te, Domine, oderam? Multi ac innumeri ejus detrahunt honori. Christus IESVS usque in hodiernum diem à multis adhuc judicatur seductor, & anathema ei dicitur à Judeis, & Gentilibus, & tu existimas, te posse ab omnibus diligere, amari, benedici? Merito ergo. S. Cyprianus de bon. pat. infert: Si nobis Dominus & DEVS Pater est, sectemur patientiam DEI pariter & Patris; quia & servos oportet esse obsequentes, & Filios non decet esse degeneres.*

LX. Secundò eidem consilium à S. Chrysostomo inc. 5. Ep. ad Thess. datum suggerat: *Convitiatus est quispiam? vituperavit? tu claude ostium; si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in edibus, quòd, quando è regione ac directè due janue oppositæ sunt, & flatus vehemens irruerit si alteram clauderis, nihil valeat efficere flatus, sed plurimum de illius robore præcidatur? ita & hic due sunt janue, os tuum, & os illius, qui te vituperat, & probro afficit: si tuum occluseris, & spirationem non dederis, omnem istum flatum extinguēs; si verò aperueris, effrænis reddetur. Ita Christus exemplo suo docuit, qui ad maledictiones*

nes

nes à Judæis coram Pilato propositas non respondit ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. Ita & S. Paula Romana, teste S. Hieronymo ep. 11. fecit, dum, si quando procacior fuisset inimicus, usque ad verborum jurgia profilisset, illud Psalterium decantabat: *Posui ori meo custodiam, cum confisterem peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & filii à bonis.* Ps. 38.

LXI. Tertiò illi doctrinam S. Ambrosij in Ps. ponderandam offerat: *Beatus inquit, qui potest tantam habere virtutem, ut laceffitus non irascatur. Inimici hoc agunt, ut provocent ad iracundiam; maledicamus ut maledicamus: criminantur, ut crimen retorqueamus: convitiantur, ut excitent nos ad vicissitudinem contumelia. Sed justus ad Christi similitudinem & imaginem cupiens suæ vitæ instituta formare, accusatus tacet, læsæ remittit, dissimulat laceffitus, & non aperit os suum, cum possit habere, quod referat, magis vult silere, quam dicere. Sicque magis refutat convitiando, quam si loqueretur, ubi præclare S. Ambrosius l. 2. offic. c. 1. indicavit dicens: Quando aliquis nobis convitiatur, laceffit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Denique si taceas? si dissimules, solet dicere: quare tace? loquere, si audes: Sed non audes, mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur, victum se reputat, irrisum, posthabutum, atque illusum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quæ parem invenit. Si autem taceas, dicitur: ille convitatus est, contempsit iste. Si referas contumeliam, dicetur: ambo convitiati sunt: interque contemnatur, nemo absolvitur.*

LXII. Quartò illi ostendat, quòd contumeliæ ideo

ideo hoc nomen juxta aliquos acceperint, quòd sint contemptu dignæ, atque adeò optimè & ipsam facturam, si eas contemnat, nihilique faciat, uti & S. Basiliius l. 10. de ira suavitè dicens: Si parvum puer te contumeliosis verbis peteret, occasionem tibi potius videndi daret. Quòd si phrenesi captus, & sensu excidens verba vite incompota, & stulta, minimèque vera dicat, misericordiâ potius, quàm irâ dignus erit. Idem Seneca jam olim etiam sensit dicens: Si stulti te verbis contumeliosis afficerent, nōne patereris? atqui stulti sunt, qui te convitiantur; non enim ratione, sed passione ducuntur; underectè Cato Senior, teste Plutarcho, iratum ab infano nullâ aliâ re, quàm morâ temporis differre, irâmque adeò nihil aliud esse, quàm insaniam brevem dixit. Quapropter sapienter monet Salomon. Prov. 26. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.

§. III.

Tentatio III. Circa Detractiones passivas.

LXIII. **A** Lexius vir honestus, etsi omni studio conatus sit, cuivis sua jura & honorem deferre, & quemvis officiis & obsequiis suis demereri; passim tamen homines contra se querentes & obloquentes audit, maximè verò hypocrisis & plurium aliorum criminum nunquam cogitatorum insimulari. Quare gravissimè has detractiones sentiens, dolorem suum justissimum Pastori suo manifestat, ab eoque consilium & scutum adversus ejusmodi tentationem petit. Quæritur, quomodo sit munien-

Respon-

Responsio.

LXIV. Inprimis ei ostendat, quòd hæc tribulatio ipsi cum Deo communis sit, cum, teste David Ps. 77. Peccatores malè de DEO locuti sint, & quidem ipsum non existere; alii scientiam eorum quæ fiunt in terris, non habere; alii non posse, & velle juvare dicant; quid mirum igitur, si vili & peccatori homini quoque detrahant. Certè beatum credere deberet, si detractiones à DEO averteret & in se convertere posset, uti S. Bernardus lib. 2. confid. optavit dicens: *Bonum mihi, si dignetur Dominus meus uti pro clypeo, libens in me excipio detrahentium linguas maledicas, & venenata blasphemiarum, ut non ad ipsum perveniant. Quod mihi det gloriari in voce illa: Quoniam propter te sustinui opprobrium, & operuit confusio faciem meam.*

LXV. Secundò ei ostendat, quòd quasi impossibile sit detrahentium linguas subterfugere, uti S. Gregorius Naz. indicavit dicens: *Nihil est, quod à linguis sagittis tutum atque immune sit.* Cui consentiens S. Hieronymus ep. 10. *Fieri, ait, quidem non potest, ut absque morfu hominum vita hujus curricula quiete transseat.* Hinc non malè quidam Detractores Cynipibus comparat, de quibus DEUS Moyfi Exod. 21. dixit: *Extende virgam, & percutite pulverem terræ, & sint Cyniphes universa terra Egypti.* An non ego optimum erit consilium Senecæ, & patienter ferendum, quod evitari non potest. Sic certè & S. Gregorius hom. 9. in Ezech. suavitè dicens: *Cum linguæ detrahentium corrigi nequeant, æquanimiter sunt per omnia toleranda: nec obrectationis sermo timendus est.*

et, dum vituperatio perversorum metuitur, recti operis via deferatur.

LXVI. Tertiò illi ostendat, quòd malis displicere, laudabile sit, teste Seneca: & quòdis, qui propriam virtute decoratur, aliorum vitiis aut detractionibus non dedecoretur. Unde Sapienter monet pius Alcega lib. 2. de imit. c. 6. *Si attendis, quid apud te sis, non curabis, quid de te loquantur homines. Homo videt in facie, DEVS autem in corde. Homo considerat actus, DEVS autem pensat intentiones. Quod ergo es, hoc es, nec major dici vales, quàm Deo esse sis.*

LXXVII. Quartò illi ostendat, utilitatem detractionum; certè S. Bernardus dicere ausus est: *Ego magis conscientia mea nullum judico accommodatius medicamentum opprobrijs & contumeliis. Sed & S. Gregorio teste, Iustus miranda agit, & opprobria recipit, ut, qui exire foras per laudes potuit, repulsus contumelia ad semetipsum redeat, & eò solidius intus in DEO solidetur, quò foris non invenit, ubi requiescat. Juxta S. Basilium verò ho. 10. de ita, Detrahenti contumelia reclusum cælorum claudit, tibi verò taciturnitas idem aperit.*

§. IV.

Tentatio IV. Circa injurias illatas.

LXXVIII. **A** Chatus Aulicus generosi pectoris gravissimam ab alio quopiam Aulico injuriam affectus, diu, nocturneque vindictam meditatut, & tandem sibi persuadens, honorem suum aliter reparari non posse nisi per duellum oblatum, statuit illud omnino injuriantem provocare, hocque suum propositum

summi

fitum uxori manifestat, verum illa de vita Mariti
retinenda sollicita, quia verbis proprijs dissuadere du-
lum hoc frustra fuerat conata, Pastorem adit, &
maritum ipse à proposito abducere efficacius conatur
rogat. Quæritur, quomodo id præstare debeat
Pastor?

Responsio.

LXXIX. Inprimis illi ostendat, ultionem non
ipsum pertinere, sed ad DEUM, qui ultionum Do-
minus Ps. 93. vocatur, idèoque sibi etiam vindictam re-
vavit dicens: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Ro-
12. Ex quo facillè colligere poterit Acharius, quàm
sapienter & malè agat, vindictam hanc sibi appropin-
quando; an non enim, si aliquis ipsi summè amicum
primèque armatus videret inimicum ipsius inenim-
advenientem, diceretque Achario: *Sine me, ego
pro tuo meliùs cum ipso velut armatus pugnabo:* ita
tè ageret, si nolleret ipsi vindictam relinquere? Ca-
ergo DEUS Jerem. 51. dicat: *Ecce ego judicabo cap-
ivitiam tuam, & ulciscar ultionem tuam:* an non merito
committitur vindicta? Certè sic jam olim Salomon
Eccl. c. 12. suadet dicens: *Qui vindicari vult, à Do-
mino inveniet vindictam.* Et ad stipulans D. Augu-
stinus in Ps. 102. *Ferto, inquit, injurias; securus est
faciet enim misericordias Dominus, & judicium con-
tribus injuriam accipientibus.*

LXXX. Secundò illi exemplum Christi proponat
qui, cum facillè vindicare se posset, aut rogare Patrem
pro vindicta; & exhibuisset plùs quàm duodecim
legiones Angelorum, ut ipse Matt. 26. dixit, neutiquàm
tamen sibi vindictam arrogavit, sed Patri reliquit.

merito hoc exemplum proponens S. Augustinus s.
de S. Stephan. Attende, inquit, Christum Medi-
am agnitudinis tue: attende Redemptorem anime tue.
Propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus,
& tu vis vindicari, & non vis tantum & talem Magi-
strum imitari? ideo pari voluit, ut tibi patientia sue de-
monstraret exemplum. Vide pendentem, & tibi lan-
guenti de suo sanguine medicamentum conficientem.

LXXXI. Tertio illi ostendat, quam præclaram ha-
beat occasionem, compensandi per hunc præstantissi-
mum actum opera illa bona, quæ hætenus neglexit,
ut præclare B. Cæsarius hortatur dicens: *Qui capti-
vos redimere, & pauperes pascere, vel vestire non præ-
stet, contra nullum hominem odium in corde reserve-
at, & inimicis non modò malum pro malo non reddat, sed
etiam diligat, & pro eis orare non desinat, certus de pro-
missione Domini sui, liberâ conscientia ante tribunal di-
cere poterit: Da, Domine, quia dedi: dimitte, quia
dimisi.* Id quod præter alios multos experta est mulier
illa, quæ occisorem Filij sui in domum recepit, atque
a captivitate & morte defendit; hanc enim charitatem
deò rependit DEUS, ut & Filium illius è purgato-
rio dimiserit, & ipsi vitam æternam promiserit, ut
Faber in festo S. Stephani conc. 3, n. 3, refert.

LXXXII. Quarto eidem suadeat, ut, quemad-
modum illi, qui ponticulum ligneum aquæ impositum
transleunt, cælum, non aquam, aspiciunt, ne verti-
gine turbati in imum aquarum prolabantur; ita & ipse
non ad injurias illatas, sed ad cælum & promissum
premium oculos convertat. Ita jam olim S. Chry-
sostomus ho. 78. ad Popul. suavit dicens: *Facillimè in-
juriam ferre poteris, si tantum in cælum respicias, si spe-*

des illam pulchritudinem, & quò te DEVS suscipere
promisit injuriam generosè ferentem. Sic S. Stephanus
fecit, qui, ut sacra historia act. 7. testatur, dum la-
pidibus obrueretur, non in lapides, nec in lapidantes
nec in injuriam, sed in cœlum, quod ignoscenti,
pro lapidantibus oranti fuerat apertum, oculos dirigebat.

LXXXIII. Quintò ut illi falsam persuasionem
quâ summum dedecus putat, honorem læsum non
dicare, eripiat, memorabilem S. Gregorij ho. 18.
Evang. Sententiam eidem suggerat: *Vnde vox illa
in corde nostro contra patientiam nascitur, nisi quia
in malis cogitationem figimus & dum in terris gloriam
querimus, placare ei, qui nos de cœlo conspicit, non
curamus? Acceptâ ergo contumeliâ meditemur in opere
victoriam DEI: Ego non quero gloriam meam: est, qui
probat, & judicet. Si ergo Princeps contumeliâ passus
propriam gloriam non querere inquit, sed DEI, quid
tu membrum tanti facis gloriam, & dignitatem tantam
ut pro illa quærenda & tuenda, ipsius DEI gloriam
contemnas? Adde quòd imperitum duntaxat vulgus
dicet, probrosum esse, injuriam non vindicare,
autem ex errore imperitæ multitudinis pender, ut
magnis viris habendus non sit, Cicerone teste l. 1. de
Cerrè sacris Sanctorum Martyrum imaginibus
instrumenta, quibus se vindicare poterant, sed quibus
læsi sunt, in signum trophæi de inimicis reportati
pinguntur; Hinc S. Andreas cum cruce, S. Petrus
cum gladio, S. Laurentius cum craticula S. Step-
hanus cum lapidibus pingitur; ut adeò meritò inferat
Basilius ho. 10. de ira: *Quorū ergo, dic tu mihi
cupis esse Discipulus? Beatorum hominum, & Dei
gratiam**

S. suscipiatur, an eorum, qui spiritu referti sunt maligno ?
 Stephanus approbas illorum facta, confiterisque illa ipsis fuisse hono-
 rifica, & tibi credis in dedecus cedere, inimico parcere ?

LXXXIV. Sexto illi ostendat, non modò non ge-
 nerosi, sed ignobilis animi, pectorisque indicium esse
 maledictam ab inimico sumere; sicut enim non plena,
 sed vacua vasa, si percutiantur, sonum edunt; sic non
 illi, qui verâ nobilitate, fortitudine, magnanimitate
 præditi sunt, sed qui illâ carent, & vacui sunt, vocife-
 rari ob injuriam acceptam, & sese vindicare solent;
 ut in S. Stephano apparet, qui, quia plenus erat gra-
 tia & fortitudine, ut act. 7. dicitur, tacebat ad injurias,
 & pro inimicis orabat. Sed & de SS. Martyribus ca-
 vit Ecclesia: *Non murmur resonat, non querimonia,*
sed corde tacito mens bene conscia conservat patientiam;
ut merito Diogenes interrogatus, quinam essent no-
bilissimi? Contemptores injuria: responderit; cui eti-
am ovidius l. de trist. consentit, dum cecinit;

Quò quisque est major, magis est placabilis iræ

Et faciles motus mens generosa capit.

Ipsæ certè DEUS potentiam & fortitudinem parcendo
 magis, quàm vindicando ostendit, ubi Moyses num.
 14. ostendit dicens: *Magnificetur ergo fortitudo Do-*
mini &c. & paulò post subjungit: Dimitte, obsecro,
peccatum populi hujus sicut propitius fuisti: Considera
hominum cecitatem. Arbitrantur, se suam fortitudi-
nem, suamque animam magnificare, si in alios sevant,
scillatim injurias vindicent; non sic autem Dominus no-
bet, sed parcendo, & non vindicando; uti & Ecclesia
confirmat, dum orat: DEVS, qui omnipotentiam tu-
am parcendo maxime, & miserando manifestas.

§. V.

Tentatio V. circa temeraria Judicia passiva.

LXXXV. **C**Æsarius Religiosus omni studio ad perfectionem incumbens, advertit, easque suas actiones in sinistram partem accipi, et passim à commilitonibus pro Hypocrita haberi, despici, qui nihil solidæ virtutis possidens, hominibus duntaxat oculis placere studeat. Unde vehementer tentatur, & hanc ipsam suam tentationem suo spiritali manifestat. Quæritur, quomodo liberandus sit ab hac tentatione?

Responsio.

LXXXVI. Inprimis ei ostendat, quàm difficile imò impossibile propemodum sit hæc judicia effugere, uti satis clarè libellus de imitatione Christi indicat 3. c. 36. dicens: *Multi multa loquuntur, & ideo parva fides est adhibenda. Sed & omnibus satis esse, non est possibile. Etsi Paulus omnibus studuit in Domino parere, & omnibus omnia factus est, tamen etiam pro modo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuerit. Satis pro aliorum edificatione, & salute, quantum poterat, & poterat. sed ne ab alijs aliquando iudicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. Imò & Christus obtinere id nequivit; hinc Eccl. 7. comparatur dicens: Venit Joannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, & c. Hinc Discipulos*

contra hæc judicia roborans, Matt. 10. dixit: *Non est Discipulus supra Magistrum, si Patrem-familias Bell-
gub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?*

LXXXVII. Secundò ostendat illi, quàm parùm curanda & æstimanda sint judicia hominum; quæ enim Virgo curaret, si à cæco quopiam homine deformis diceretur? atqui æquè parum curandum est, si homines de nostris operibus judicent; cùm enim omnis horum bonitas ab intentione pendeat, juxta illud Ps. 44. *Omnis gloria Filia Regis ab intus*: intentio autem à nullo homine sine speciali DEI aut hominis revelatione videri, & cognosci possit, meritò quoad hoc cæcis comparari possunt, uti ipse etiam Christus comparavit, Matt. 15. dicens: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.*

LXXXVIII. Tertio eidem ostendat, quòd, etiam si vera essent humana judicia, nihilominus parvi facienda forent, cùm nullus sine voluntate DEI vel hilum movere possit, uti S. Petrus l. c. 3. indicavit, dicens: *Quis est, qui noceat vobis, si boni amulatores fueritis?* an non ergo ridendus erit, qui à bonis operibus per ejusmodi hominum judicia absterri se patitur, perinde ac rideretur is, qui ad convivium invitatus timeret domum ingredi, eò quòd depictos ante Januam Gigantes videret: aut qui per plateam transire vereretur, ne anseres eum assibilarent: aut qui à silvæ ingresso se absterri per foliorum strepitum timeret? an non enim de homine dictum est à Job. c. 13. *contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam?* an non propter garrulitatem inanem similes sunt homines anseribus sibilantibus? an non propter inopotentiam nocendi similes depicto & armato Giganti? ut adeò merito Thomas de Kempis l. 3. c. 36. timentem ejusmodi

judicia sic alloquatur, & confortet: *Quis es tu, meas à mortali homine? hodie est, & cras non comparabis. DEVM time, & hominum terrores non expavesce. quid potest aliquis in te verbis aut injuriis? sibi potius nocet, quàm tibi.*

LXXXIX Quartò suadeat illi, ut doctrinam firmissimam pij Authoris l. 3. c. 36. sibi applicet, in Persecutione Christi sic loquentis: *Fili, jacta cor tuum super Dominum, & humanum ne metuas judicium, ubi conscientia pius reddit, & infonem. Bonum est, beatum taliter pati, nec hoc erit grave humili cordi. DEO magis, quàm sibi ipsi confidenti.* Ita sanctus Paulus se solatus est 2. Cor. c. 1. dicens: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Ita & S. Augustinus l. 2. contra Jov. c. 1. dicens: *Senti de Augustino quidquid libet; sola me in oculis DEI conscientia accuset.* Conscientia autem non est aliud, quàm conscientia & testimonium, quo anima sibi conscia est, & quae attestatur, se purè, & sanctè juxta legem vivere. Hortetur ergo Caesarius, ut nolit male agere, & sic sua eum conscientia non accusabit; si conscientia ipsum non accuset, DEUS ipsum non judicabit; si DEUS non judicet, pro minimo ipsi sit ab hominibus judicari; nam, ut S. Gregorius Naz. vertit, DEI Judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magisque curandum est, quàm omnium hominum in unum coactorum.

XC. Quartò illi ostendat damna, quae ex nimio amore horum judiciorum oriri solent, nempe ut nullo aut certè pauca opera cum debita perfectione, uti olim Polycletes celebris Pictor concivibus suis ostendit, dum duas imagines pinxit, unam juxta propriam

sensum & artis suæ præcepta; verum cum eam ante
 domum pro exsecratione expositâ à multis carpi adver-
 tisset, aliam huic omnino similem pinxit, & cum ite-
 rum exposuisset, quidquid à quovis carpi occultè la-
 tens audiverat, juxta carpentis sensum mutavit, unde
 tandem propter tam crebram mutationem tam defor-
 mis imago prodijt, ut nemo sine risu eum aspicere pos-
 set. Quare priorem imaginem iterum exposuit, &
 juxta deformem imaginem statuit, cumque cives spe-
 ctaturi has imagines certatim convolâssent, & à Poly-
 clete interrogati, quid de ijs sentirent, primam pluri-
 mum laudarent, secundam autem velut stultè pictam
 vehementer improbarent, subiecit ille: atqui prima
 secundum artis meæ præcepta, altera juxta vestrum
 sensum depicta est. Hinc ergo colligite, qualia mon-
 stra quis progigneret, si vestra perversa judicia atten-
 deret. Quam proinde doctrinam & sibi applicet
 Casarius, discatque inde, quàm vera pronuntiârit S.
 Hieronymus Ep. 28. *Prima virtus Monachi est, ho-*
minum judicia contemnere. Dicat proin cum S. Gre-
 gorio Naz. orat pro seips. *Quid meâ interest, qui rei ve-*
ritatem magis curo, imò solam curo? hoc enim vel me
condemnaverit, vel absolverit: hoc miserum vel beatum
reddiderit. At quid alijs videatur, nihil ad nos, que-
madmodum nec alienum somnium. Non ita alijs vide-
 tur, ais, quid verò? an ijs, qui vertigine correpti sunt,
 terrâ fixa & stabilis videtur? quocirca fac prius fidem,
 sanos esse eos, qui de nobis ita sentiunt, & tum nos ad-
 mone, ut meliorem mentem induamus. Rectè ergo S.
 Hieronymus l. 1. c. 3. in Isaiam concludit; *Spernentes*
hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur, nec
obirectionibus contristemur, sed ingrediamur rectam
viam, & tritas à SS. Prophetis semitas. §. VI.

§. VI.

Tentatio VI. circa inimicitias passivas.

XCI. **V**italis civis, cum iustâ de causâ actionem liquam contra concivem aliquem institueret, & verò etiam Sententiam pro se obtinisset, tam grave erga ipsum odium & inimicitiam idem concivis concepit, ut neque aspicere illum aut alloqui sit dignatus, sed undique occasionem captârit, seriam de ipsius vindictam capiendi. Cùmque nullum Vitalis remedium inveniret, inimicum suum placandi, tandem Perfori suo cum magno dolore inimicitiam hanc manifestat, ab eoque consilium & auxilium requirit. Queritur, quale sit eidem suggerendum.

Responsio.

XCII. Inprimis illi ostendat, Inimicum suum non habere nocendi potestatem majorem, quàm DEUS ipsi permittat, uti sat clarè Christus Jo. 19. indicat dicens Pilato: *Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset de super.* Quidquid autem permiserit fieri DEUS, id in summam illius utilitatem à divina providentiâ ordinari, uti præclarè S. Augustinus in Pl. 29. indicavit sic loquens: *Serviant modò inimici, humilientur, faciant, quidquid volunt, sed sicut de super permittuntur, non quòd DEUS det illis voluntatem nocendi, sed potestatem. Vnusquisque enim malus habet apud se voluntatem nocendi; ut autem possit nocere, non habet in potestate; ut velit, jam reus est; ut possit occulta dispensatione providentia DEI, in alium permittitur ad poenam: in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad poenam, quando permittitur*


sunt alienigena capere Populum Israël, quia peccaverunt in DEVM. Ad probationem permissus est Diabolus in Job; probatus est autem S. Job, confusus est Diabolus. Ad coronam verò permissi sunt Persecutores in Martyres.

XCIII. Secundò illi ostendat, quomodo DEUS in variis exemplis suam providentiam ostenderit, omnia mala, quæ inimici paraverant, in summam illorum, qui passi fuerant, utilitatem convertendo. Quorum primum esse potest Jacobi Patriarchæ, de quo adhuc in utero existente dictum est Rebeccæ gen. 25. Major (nempe Esau) serviet minori. Quod vaticinium S. Augustinus l. 18. de temp. implerum fuisse ait, dum Esau ipsum persecutus est, sicque serviebat ipsi non obsequendo, sed persequendo, quomodo molæ serviūt tritico, lima vel malleus auro, panibus coquendis furnus; nam hoc ipso, quod persecutus eum fuit, effecit, ut à patria fugerit, uxores optimas acciperet, Pater duodecim Patriarcharum, ex quibus Christus nasceretur, efficeretur, &, qui cum baculo Jordanē transgressus fuerat, cum duabus turmis regrederetur. Alterum nec minus illustre exemplum Josephus eius Filius esse potest, cui non mediocrem utilitatem attulit fraternum odium, cum venditio à Fratribus facta effecit, ut deniq; ProRex regni Egypti crearetur, & ab ipsis etiam Fratribus, ut pridem per binum somnium ei ostensum fuerat, adoraretur; sicque merito de illis dictum fuerit, quod olim de occisoribus Infantum nonnemo protulerat: non tantum prodesse ei potuissent obsequio, quantum profuerunt odio.]

XCIV. Tertiò ei ostendat, quod inimicus, dum ipsum persequitur, sibi plùs, quàm alteri noceat, uti præclare S. Augustinus, in Pl. 36. indicat dicens: *Fa-*
calano

culam apponis, ut aliquid incendat; numquid non ipsa
 facula prior ardet, ut aliquid possit accendere? Malitia
 autem procedit ex te. Et quem prius vastat nisi te equidem
 dico, quod fieri potest, ut malitia tua alteri non noceat; ut
 autem tibi non noceat fieri non potest. Hinc S. David pete-
 ribus sociis, ut occasione oblata Saulem interficeret, re-
 spondit: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem
 ubi bene notandum, quod non dixerit: Propitius sit
 Dominus, sed mihi, quia illum occidendo prius ani-
 mam propriam, quam corpus Saulis peremisset sicque
 sibi magis, ac Sauli nocuisset; perinde ut apes cum
 culeo etiam viscera ejiciunt, sicque dolorem quidem
 inimico, sibi autem mortem afferunt. Ut merito Te-
 tullianus l. de pat. c. 8. dixerit: *Fatigetur improbi
 patientia tua: plus improbum cedis sustinendo? ab eo
 vapulabit, cujus gratia sustines.*

XCV. Quarto illi in memoriam revocet, qui
 DEUS per Salomonem prov. c. 16. dixerit: *Com-
 placuerint Domino via hominis, inimicos quoque ejus
 convertet ad pacem, uti varijs exemplis in S. scriptura
 confirmatum est, maximè Jacobi Patriarchæ, quem
 Esau summus olim illius inimicus postea obviam eun-
 tens, amplexatus est, stringensque collum ejus, et o-
 sculans flevit. Gen. 33. Deinde Josephi, quem Fra-
 tres, qui ipsum prius vendiderant, proni postea ado-
 rantes dixerunt: Servi tui sumus: ita ut jure ipse illi
 dixerit: Nolite timere: num DEI possumus resistere
 voluntati? vos cogitastis de me malum, sed DEVS con-
 vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in presentia
 vestra cernitis, et salvos faceret multos
 populos.*



§. VII-

Tentatio VII. circa conversationem malorum hominum.

XCVI. **A** Gatha devota Ancilla summo opere queritur confessorio suo, quod inter Ancillas alias & Famulos valde discolos ac immorigeros habitare multa que parum honesta audire, & videre cogatur, nec tamen Herum & domum, cui se addixit, deserere sine grandi incommodo possit; rogat proin, mediuna sibi suggeri, quo se contra ejusmodi tentationes protegere, animique sui quietem retinere possit. Quaeritur, quomodo eidem sit respondendum?

Responsio.

XCVII. Inprimis ei ostendat, quod quasi impossibile sit, sine malis hominibus in hac vita degere, uti sapienter S. Augustinus advertit l. 78. de temp. Sicut duo parvuli in utero Rebecca collidebantur, sic in utero Ecclesiae duo Populi jugiter adversantur. In ventre spiritualis Rebecca, id est, Ecclesiae duo Populi colliduntur; humiles scilicet & superbi, casti & adulteri. Et iterum tr. 27. in hom. Certi sumus, inquit, quia omnes, qui sumus in corpore Domini, & manemus in illo, ut ipse maneat in nobis; in hoc saculo necesse habemus usque in finem inter malos vivere, non inter illos dico malos, qui blasphemant Christum; raro enim jam inveniuntur, qui linguâ blasphemant, sed multi qui vitâ. Necesse est ergo, ut inter illos usque in finem vivamus. Quod ipsum etiam S. Gregorius lib. 20. mor. c. 30. confirmans, Abel, inquit, quippe renuit esse, quem Cain malitia non exercet. Et iterum l. 2. ep. 39. Boni, si sine malis fuerint, perfecti esse boni

boni non possunt, quia minimè purgantur. Abel est non suspicor, qui Cain non habueris.

XCVIII. Secundò illi ostendat, quòd, sicut máximo est vituperio, inter bonos non esse bonum, immò summe laudabile esse, etiam inter malos bene operari; id quod bene S. Gregorius l. 1. mor. in c. 1. Job advertit dicens: *Sicut gravioris culpe est, inter bonos bonum non esse, ita immensi est praconii, bonum etiam inter malos extitisse. Nemo sanè perfectè bonus est, nisi qui fuerit & cum malis bonus.* Certè ideo misericors DEVS, teste S. Chrysostomo cap. 6. in gen. sic dispensavit, ut simul essent boni & mali, quò malorum subnervaretur malitia, bonorumque virtus clarior elucesceret, & desides, ac studiosi plurima commoda lucrifacerent, modò vellent. Hinc & jam olim Aristippus Philosophus interrogatus, quid esset admirandum in vita? vir probus, respondit, & moderatus, quoniam etsi inter improbos agat, non tamen pervertitur.

XCIX. Tertiò ei ostendat, quomodo inter malos innoxia transire & vivere queat, si videlicet consilium S. Augustini in Pl. 91. observare studeat sic loquentis: *Ab iniquis non potes recedere, quia mixta est palea tritico, usque dum ventiletur in ipsa area. Mira res de tritico; recedit à palea, cum expoliatur: & non recedit ab area, dum tritituratur. Quando autem omnino separabitur? cum venerit ventilator. Ergo modò area in orbe terrarum est: necesse est, ut, si proficiat, inter iniquos vivas: ab iniquis recedere non potes: ab iniquitate recede. Odio habeas semper malas peccatorum actiones, sed illorum pro Christo sustineas persecutiones. Noli dolere, quòd te vexent, sed quòd*

Deo peccent. Non participat triticum de natura palmarum; sic nec tu de malignitate peccatorum participato. Valde laudabile est, de vitiis alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi.

C. Quartò etiam exempla quædam proponat eorum, qui inter malos bene vixerunt, ut & sibi hoc esse possibile cognoscat. Hujusmodi autem esse possunt imprimis exemplum Noë, de quo S. Chrysostomus c. 6. in Genesim sic loquitur: *Noë multos habebat, imò omnes, qui ad mala & prava opera hortabantur, & nullus erat, qui ad bonum induceret. & tam domestica illi virtus erat, ut viam diversam à vulgari, quam omnis multitudo inambulabat, iret, adimplens illud, quod Moyses olim dicturus erat: Ne sis cum multis in malitia; & illud: Melior est unus faciens voluntatem Domini, quam innumeri Pravaricatores.* Talis etiam erat Loth inter Sodomitas: Talis S. Job, qui de seipso cap. 30. dicit: *Frater fui Draconum, & Socius Struthionum.* Talis etiam S. Ezechiel, cui Dominus Ezech. 2. dixit: *Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Cùm ergo hi & similes bene inter malos vivere potuerint, cur non & ipsa possit?

S. VIII.

Tentatio VIII. Circa contemptum & derisionem.

CI. Iuliana Monialis, devota quidem & pia, sed tamen etiam simplex admodum virgo, videns, se propter simplicitatem suam ab omnibus propè reliquis Monialibus derisui, & contemptui haberi,

beri, graviter turbatur, & propemodum de Monasterio omnino deferendo cogitat; prius tamen hanc suam tentationem Confessario suo aperit. Quæritur quomodo contra eandem munienda sit?

Responsio.

CII. Inprimis illi ostendat, quàm multi Sancti & perfecti ejusmodi derisiones sint passi. non enim Tobias ab uxore & cognatis irrisus est? non Job de seipso dixit: *Numquid derident me majores?* an non Jeremias pariter passus est: *Factus sum in derisum omni populo?* an non David quoque dicit: *omnes videntes me deriserunt me?* an non Christus inprimis in domo Jairi, dein apud Herodem, postea in domo Pilati, & tandem in cruce procaciter irrisus est. quid ergo mirum, si ipsa quoque longè quàm sanctitatem & dignitatem his omnibus inferior mo dicè quandoque irrideatur.

CIII. Secundò illi ostendat, quòd, quantomògis derisa & contempta fuerit in hoc mundo, tantò Christo similior, gratiorque sit futura, atque ad suum tempore coram toto mundo laudanda, & exaltanda, uti jam olim Salomon Sap. 5. prædixit, dicit eos, qui alios irrident; sic olim locuturos dicit. *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam, & finem illorum suum in nore: ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Quidni ergo dicat cum S. David Pl. 83. *Elegi abjecta esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Et iterum 2. Reg. 6. *Ludam, & vilior fiam populo, quàm facta sum, & ero humilis in oculis meis.*

CIV. Tertiò suadeat illi, ut sibi applicet totum caput 41. l. 3. de imit. sibi que à Christo dictum putet: *Filia, noli tibi attrahere, si videas alios honorari, & elevari, te autem despici, & humiliari. Eri-ge cor tuum ad me in coelum, & non contrista-beris te contemptus hominum in terris.* Respondeat proin & ipsa; *Domine, in cecitate sumus, & in va-cuitate citò seducimur. Si rectè me inspicio, nunquam mihi facta est injuria ab aliqua creatura, unde nec justè habeo conqueri adversum te. Quia autem frequenter & graviter peccavi tibi, meritò armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur justè debetur confusio & contemptus, tibi autem laus, honor, & gloria. Et nunc ad hoc me preparavero, quòd velim libenter ab omni creatura despici, & derelinqui, atque penitus nihil videri, non possum interius pacificari, & stabi-liri, nec spiritualiter illuminari, neque plenè tibi uniri.*

CV. Quartò suadeat, ut bene perpendat, quan-topere DEUS illo ipso tempore, dum ipsa contem-nitur, ab infinitis hominum millibus negligatur, sper-natur, & contemnatur; quàm proinde iniquum sit, si, cum DEUS infinità laude dignus, hæc à subditis suis, quibus cœlum promittit, & sanguinem dedit; tamò hoc ipso momento alit, & à periculis defendit, tam graves contemptus tam patienter ferat, & dissi-mulet, ipsa de suo contemptu & derisione conqueri velit.

CVI. Quintò iterum sibi applicet totum caput 28. l. 3. de imit. sibi que dictum putet à Christo: *Fi-lia, non agrè feras, si quidam de te malè senserint, & dixerint, quòd non libenter audis. Tu deteriora de te-*

P

ipsa

ipsa sentire debes, & neminem infirmiore te credens. Si ambulas ab intra, non multum ponderabis voluta verba. Est non parva prudentia, silere in tempore malo, & introrsus ad me converti, nec humano iudicio disturbari. Non sit pax tua in ore hominum; sed nim bene, sive male interpretati fuerint, non es idem ter homo. Vbi est vera pax, & vera gloria? in me? & qui non appetit hominibus placere, neque displicere, multa perfruetur pace. Ex inordinato amore, & vano timore oritur omnis inquietudo cordis, distractio sensuum.

§. IX.

Tentatio IX. Circa falsam accusationem.

CVII. **L** Ambertus Religiosus falsò coram superioribus suis accusatus, omni quidem Innocentiam suam demonstrare nititur, sed frustra quia praevalentibus Accusatoribus beneficio suo privatus, & ad aliud minus pingue, gratuito detrusus est; ex qua injuria cum gravissimum animi dolorem concepisset, ejusdem relevandi causâ Confessarium adit, eique totam rei seriem magno sensu exponit. Quæritur, quomodo consolando & contra hanc tentationem armandus sit?

Responsio.

CVIII. In primis ei narret, quodd Joanni Pectore Minoritæ contigerit, qui, cum in Capitulo generatim falsò fuisset accusatus, & postea coram crucifixione suam injuriam deplorasset, audivit à Christo. Et quid ego merui, ut apud Pilatum falsè accusatus

& ad ipsam ignominiosissimam mortem fuerim damnatus. Quibus verbis adeò roboratus est, ut æquissimo postea animo falsitatem suæ accusationis pertulerit. Unde meritò libellus de imit. l. 3. c. 46. in Persona Christi dixit: *Fili, sta firmiter, & spera in me: Quid enim sunt verba, nisi verba? Per aërem volant, sed lapidem non ledunt. Si reus es, cogita, quod libenter emendare te velis: si nihil tibi conscius es, pensa, quod velis libenter pro DEO hoc sustinere. Parum satis est, ut vel verba interdum sustineas, qui necdum fortia verba tolerare vales.*

CIX. Secundò eidem ostendat, quòd sicut in humanis judicijs ab inferiori tribunali ad altius provocatio datur; ita etiam hinc appellatio ad supremum Judicem semper superfit; imò nec provocatione opus sit, sed ipse DEUS velut supremus Judex causam reassumpturus, & ipsius innocentiam tantò majori cum solatio sit detecturus, quantò diutius hæc detectio fuit dilata; uti iterum pius Author l. c. in persona Christi dixit: *Ego sum Judex, & cognitor omnium secretorum: ego scio, qualiter res acta est, ego injuriantem novi, & sustinentem. Ego reum & innocentem judicabo: sed occulto judicio utrumque ante probare volui. Ad me ergo currendum est in omni judicio, nec proprio inmitendum arbitrio. Justus enim non conturbabitur, quidquid ei acciderit, etiamsi injustè aliquid contra eum prolatum fuerit, non multum curabit; pensat namque, quia ego sum scrutans corda & renes, qui non judico secundum faciem & humanam apparentiam.*

CX. Tertiò illi referat, quid olim S. Ephrem ab Angelo in carcere dictum sit, quòd quidem oves,

ob quas ablatas accusatus, & ad mortem iam
damnandus fuerat, non furatus sit; sed tamen
culam, quam pauper quidam unicam habebat,
diu lapidibus impetiêrit, donec mortua concidit;
præterea ipsum etiam Pauperem obviam venientem
& de bucula interrogantem malis verbis contristat
à se dimiserit; & hanc tandem esse causam, ob quam
DEUS incarcerari ipsum permiserit: simili ergo
do & ipse Lambertus non ad præsentem culpam,
falsò insimulatus est, sed ad præteritas, quas
admisit, & ob quas necdum punitus est, oculos con-
ciat, dicatque cum pio Asceta l. 3. c. 46. de
*Domine DEVS, Iudex iuste, fortis & patiens, qui
minum nōsti fragilitatem, & pravitatem, esto
meum, & tota fiducia mea; non enim mihi
conscientia mea. Tu nōsti, quod ego non novi, &
in omni reprehensione humiliare me debui, & ma-
tè sustinere. Melior est enim mihi tua copiosa
cordia ad consecutionem indulgentia, quàm mea
ta iustitia pro defensione latentis conscientie. Ego
mihi conscius sum, tamen in hoc iustificare me non
sum, quia, remotà misericordiâ tuâ, non iustificor
in conspectu tuo omnis vivens.*

CXI. Quattò illum horretur, ut conscientia
testimonio contentus dicat cum S. Paulo 2. Cor.
Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia
quòd in simplicitate cordis, & sinceritate DEI, &
sapientia carnali, sed in gratia DEI conversati
in hoc mundo. Dicat item cum S. Augustino:
ti de me, quod lubet, sola me in oculis DEI
tia non accuset. De reliquo certò confidat, quod
DEUS, sicut olim Susannæ fiduciam in eo habuit

innocentiam cum summa ipsius, cognatorum, & totius Populi lætitia & consolatione manifestavit, ita ut ipsum contra falsos Accusatores defensurus, & famam ex falsa accusatione deperditam tantò majori cum solatio, gaudiòque sit restitutus, quantò fortiori cum patientia ejusdem ablationem sustinuit, ac toleravit. Dicat proin cum Job: *Ecce in celo testis* (Judex, & Protector) *meus*: Et cum Jeremia c. 1. *Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas justè, & probas renes, & corda, videam ultionem tuam ex eis; tibi enim revelavi causam meam.*

§. X.

Tentatio X. Circa Postpositionem.

CXII. **H**onorius bonus cæteroqui Religiosus, sed exiguis talentis præditus, advertens, ad nullum munus paulò honestius se applicari, sed vilissima quæque officia & opera sibi demandari, graviter propterea tentatur non infrequenter; quia tamen seipsum insufficientem agnoscit ad ejusmodi tentationem superandam, Confessarium in auxilium vocat, ab eoque modum resistendi tali tentationi cognoscere petit. Quæritur, quid ei sit respondendum?

Responsio.

CXIII. Inprimis ei exemplum Christi proponat, qui etiam nequissimo & sceleratissimo Latroni postponi se patientissimè tulit; & præterea ultrò se tanquam minimum & postremum ad Discipulorum pedes abjecit. Quare sibi applicet salubrem illam S. Augustini ro. 2. ep. 56. adhortationem; *Obsecro vos,*

Et plurimum rogo, non patiamini sine causa tam pretiosum vobis exemplum exhibitum esse, sed conformamini illi, Et renovamini spiritu mentis vestre. Sed illa pij Authoris l. 2. c. 13. verba sibi velut à Christo dicta existimet: *Quid magnum, si tu, qui pulvis, Et nihil, propter DEUM te homini subdis, quia ego omnipotens Et altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te humiliter subjeci. Falsum omnium humillimus Et infimus, ut tuam superbiam meam humilitate vinceret. Disce ergo te humiliter terra Et limus, Et sub omnium pedibus incurvere. Exardeſce contra te, nec patiaris tumorem in te crescere, sed ita subiectum Et parvulum te exhibe, ut omnes super te ambulare possint, Et sicut lutum platearum conculcare.*

CXIV. Secundò illi in memoriam revocet, quod Christus Luc. c. 14. dixerit: *Cum invitatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: Et qui se humiliat, exaltabitur.* Sequatur ergo & ipse in consilium, & libenter amplectatur infimum locum omnibus, ut à Christo audire mereatur: Ascende superius, saltem quoad perfectionis gradum; nam uti S. Ambrosius rectè dixit: *Quisquis cupit divitiarum tenere fastigium, humilitatis ima sectetur.* Sed & ipse DEUS S. Birgittæ revelavit, quod humilitas sit scala, per quam ad cor DEI ascenditur; uti repositus expertus est Frater Urigman ex Dominicana Familia, qui, cum nullum sibi locum congruum reperire potuisset, nisi in profundo inferno sub ipsomet

tero, hanc è cœlo vocem accepit: Citò huc accedens ad thronum altissimum in cor DEI. Hinc rectè hortatur S. Augustinus: *Altus est DEVS; humilia te, & descendit ad te: erigis te, & fugit à te. Quare? quoniam excelsus est, & humilia de proximis aspiciat, ut attollat, & bonis repleat: alta, id est, superba de longè cognoscit, ut deprimat.*

CXV. Tertio illi æstimationem officiorum vitium ingenerare studeat, eumque in finem indicet, quod S. Basilii c. 24. constit. Monast. pronuntiavit: *Intelligendum est, inquit, debere pietatis cultorem vitia etiam officia, magno cum studio, magna cum alacritate suscipere, scientem, nihil minutum esse, quod DEI causâ fiat, sed grande & spirituale, & ejusmodi, quod cœlum nobis & caelestia præmia conciliet. Quod Gregorius etiam exemplo Davidis confirmans, Ecce, inquit, quem Dominus singulariter cunctis prætulit, se sub Domino, & exequando minimis, & abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subjectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prelatum ceteris ante ejus arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram DEO erga vilia vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, qua coram hominibus egerat. Quid de ejus factis ab alijs sentiatur, ignoro, ego David saltantem plus stupeo, quam pugnatem: pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem coram Domino semetipsum vicit.*

CXVI. Quarto illi ostendat, quot & quanta alia adhuc privilegia officij minimis competant; nam i. per ea quis DEO magis placet, tanquam servus fidelis, qui etiam in minimis fidelitatem ostendit, & omnem amorem & commodum proprium extirpat.

2. Ea Christi, & Sanctorum exemplis (quibus ad novissimum locum amplectendum hortabantur) magis conformia sunt. 3. Proximum magis ædificant, & ad amorem mutuum incitant, dum quæ ipse forsitan alioqui obire deberet, munera suscipimus. Majorem profectus nostri occasionem offerunt, cum quod magis nos humiliamus, & deprimimus, tanto magis in Spiritu proficiamus, & cælestium donorum capaces efficiamur. 5. Majorem animo quietem conciliant; cum ejusmodi minima officia secum, & sine invidia possideantur, sine grandi labore obtinentur, & sine dolore amittantur, atque aded verum sit, quod, qui separat pretiosum à vili, quasi os DEI, id est, specialiter dilectus sit, ut Jeremiæ c. 15. dicitur.

P A R S V.
DE TENTATIONIBUS
VARIARUM PERSONARVM.

I. Etsi omnes illæ tentationes, de quibus habemus est actum, Personis occurrere soleant, sunt tamen illæ plerumque communes omnibus hominibus, quia verò adhuc multæ supersunt, quæ certo Personarum generi propriæ sunt, speciatim verò Religiosis, Monialibus, Magistratibus, Subditis, Conjugibus, Viduis, Orphanis, Captivis, Damnis ad mortem; ideo pro his quoque breviter arma præparanda, & subministranda, quod in præsentia parte præstabitur.

CAPIT.

C A P U T I.

DE RELIGIOSORUM TENTATIONIBUS.

II. **H**orum tentationes nec parvas, nec leves esse, jam olim cognovit Eremita ille, de quo in vitis Patrum legitur, quod, cum civitatem quandam intrasset, supra portam civitatis unum duntaxat dæmonem, innumeros verò supra tectum monasterii sedentes vidit, causamque rogans à Comite Angelo intellexit, luciferum imitari morem cujusdam Imperatoris, qui, ubi locum aliquem aut populum sibi multum resistantem videt, integrum exercitum ad eum debellandum mittit: ubi verò semel devicit, unicuique præficit, qui eos in obedientia & subjectione contineat. Cum ergo sæculares plerique utpote devicti libenter voluntatem luciferi faciant, unum dæmonem iis in officio continendis sufficere; non item Religiosis, utpote qui totis viribus se orco opponant. Nihilominus tamen pleræque tentationes ad quatuor species revocari possunt, nempe ad eas, quæ ex tribus votis, & vitæ asperitate ac solitudine oriri solent; quæ proinde in hoc capite proponuntur.

§. I.

Tentatio I. Circa Paupertatem.

III. **R**obertus Monachus in paupere quodam monasterio vivens, ubi & habitatio perquam incommoda, & victus tenuis, & vestitus vilis atque asper reperiuntur, grande concepit tædium loci, ideoque omnem copatum adhibet, ut ex illo ad alium commodiorem transferatur; sed quia ob vo-

tum stabilitatis advertit, se non facile voto suo potiturum, saltem Confessario suo tentationem hanc aperit, ab eoque remedium & solatium exposcit. Quæritur, quomodo huic tentationi sit obviandum?

Responsio.

IV. Inprimis illi finem, ob quem in Religionem intravit, considerandum proponat; an non enim propterea eam ingressus est, ut Christum pauperem sequeretur, ejusque Discipulus fieret? an non ergo sibi dictum existimare debet illud Christi Luc. c. 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus?* an non summè probro sibi ducet, si, cum Dominum & Magistrum suum advertat, pauperrimam egisse vitam, ipse in summa rerum abundantia vivere velit? an non contingerit illi, quod uni ex Ordine S. Francisci contigit, qui, cum togam paupertati contrariam portaret, ad judicium vocatus, & à S. Francisco interrogatus, quis esset? respondisset, se Franciscanum esse, audivit ab eodem Sancto, se illum pro Filio & Discipulo non agnoscere; neque enim suos tales togas portare? an non ergo idem olim Christus ipsi diceret? an non iterum repetet illud Luc. 9. *Qui me erubuerit (& paupertatem meam), hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & SS. Angelorum.*

V. Secundò illi indicet, quid S. Chrysostomus in epist. I. ad Coloss. dicat: *Instruantur, inquit, mensæ duæ, una pauperibus omnis generis repleatur, discipulis altera. Illic argenti nihil, nec vini multum, sed quod tamen ad hilaritatem sufficit; hic vasa aurea &*

argentea, Ministri multi splendidi ac pretiosi, & sumptuosa fercula. In utrâ estis accubaturi? in hac vestrum, orator, plurimi: ego ad illam propero. Hac homines, illa Christum: Servos hac, illa Dominum habet recumbentem. Itaque sic etiam major illius, quam huius voluptas, quanto jucundius cum Rege, quam cum famulis accumbere. In illa ego, quique mecum eam elegerint, multa cum libertate, animique delectatione & loquemur, & audiemus omnia, vos autem in hac trementes ac timidi simul discumbentes, subvertitque, manum quidem protendere audebitis, quasi ad Pedagogium, non ad prandium ingressi, & coram molestis ac servis Dominis trementes, & servorum more eadem cum Heris mensa communicantium abjectè loquimini. Duplici ergo nomine vos superamus, libertate scilicet, & honore, quibus quod ad voluptatem attinet, nihil conferendum. Ego quippe malim cum libertate, amicitia, gratia, panem & olera, quam cum servitute & inimicitia vitulum saginatum, & millo fercula. Conformiter scilicet illis Scholæ Salernitanæ versibus:

Si dat oluscula, mensa minuscula, pace repleta,

Ne pete grandia, lautæque prandia, lite referta.

VI. Tertiò illi ostendat, quantò perfectiùs omnia, quæ horret, per paupertatem possideat; an non enim gauderet, si pro uno obulo centum aureos acciperet? quantò magis lætari debet, cum pro parvis & paucis rebus, quas reliquit, centuplum promissum habet? Si miratur divitias illius, qui multa castra & arces emere potuit, cur non magis paupertatem

tem

tem suam æstimet, quæ majora operatur? nam, in S. Augustinus l. 28. sup. verba Apost. ait, Non tibi displiceat Paupertas tua, nihil eâ potes ditius invenire. Vis nôsse, quàm locuples sit? cœlum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod pauperibus videmus indigentium? ut ad regnum cœlorum veniret dives, possessionem suâ obtinere non potuit; nunc obtinet, ut contentus perveniat. Quod ipsum confirmans S. Leo, semper inquit, dives est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est omnium rerum Domino omnia possidere. Hinc merito S. Hieronymus ep. 150. exclamat: O quantabrevitudo, pro parvis magna, æterna pro brevibus, promeritis semper viventia recipere, & habere Dominum debitorem. Quale autem sit centuplum pauperibus promissum, ibidem indicat dicens: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ compensatione & merito sui ita erunt, quasi si pro parvo numero centenarius numerus comparatur. Hec est mensura coagitata, quæ ita meritorum copiam excedit, ut excessum istum nec lingua eloqui, nec mens cogitare sufficiat.

VII. Quartò ut minùs sentiat asperitatem imaginariam paupertatis, ostendat illi, quanta jucunditas & quies in eâdem paupertate reperitur, de qua jam olim dixit Seneca: *Quietissimè viverent homines, si his duo tollerentur, meum ac tuum.* Redige itaque te ad pauca, ex quibus cadere non possis; inest paupertati, sine qua nihil est jucundum, securitas. Et S. Gregorius, magna, inquit, est securitas cordis, nihil habere concupiscentia secularis; qui nihil habet in mundo, quod diligat, nihil est in mundo, quod pertimescat. Et

Et clarius S. Petrus Dam. *Quid est centuplum*, inquit, nisi consolationes, visitationesque & primitie spiritus, qui super mel dulcis est? nisi testimonium conscientie nostre? nisi leta & jucundissima expectatio iustorum? nisi memoria abundantie suavitatis DEI, & magna vere dulcedinis eius multitudo, quam nec expertis necesse est dicere, nec inexpertis ullis verbis exprimere quisquam potest.

VIII. Quinto proderit, etiam unum, alterumve exemplum eorum, qui paupertatem singulariter æstimant, & amant, ob oculos ponere; qualia esse possunt S. Francisci, qui paupertatem in omni sua conversatione & sermone Matrem, Sponsam, Dominam, Reginam appellabat, & cum Mendicum quendam se pauperiorem aspiceret, ita sancta quidam invidiâ commoveri solebat, ac si in re magna, multumque expetenda vinci se videret. Cum ad Principum mensas invitabatur, non prius eas adibat, quam aliquot panis frustra per viciniam mendicasset, quem dein in mensa cum gaudio exponebat. Cum Guardianus quidam cellam ei ex tabulis obiter dolatis præparasset, non prius illam inhabitare voluit, quam parietes, ramis, viminibusque contexti paupertatis speciem exhiberent. Abbas Isaac, cum Eum Discipuli crebro monerent, ut pro monasterio possessiones, quæ offerebantur, admitteret, sollicitus paupertatis custos semper eas accipere renuit, dicere solitus: Monachus, qui in terra possessiones quærit, Monachus non est; sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem amittere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire, uti in spec. Ex. dist. 1. ex 35. refertur. S. Clara usque adeo paupertatem diligebat, ut

pri

privilegium paupertatis ab Innocentio IV. petenti, quâ petitione adeo delectatus est Pontifex, ut totum incredibilem voluptate manu propriâ conscripserit. Teste Plato l. 2. c. 3. S. Arsenius, cum mortui Fratris testamentum, quo hæres declarabatur, ei oblatus fuisset, illud laceravit, & dixit: Ego prius, quam Frater meus, mortuus fui; nihil ergo de relictis bonis ad me pertinet. Sanchez in regno DEI. p. c. 9. f. 540.

§. II.

Tentatio II. Circa Castitatem.

IX. **N**Orbertus Novitius Ordinis cujusdam Religiosi, cum vitam valde libidinofam in saeculo duxisset, sicque gravem satius consuetudinem in luxuriae vitio contraxisset, tandem singulari DEI muneris beneficio conversus, Religioso Ordini se immancipavit, sed ibidem ob recurrentes identidem peccatorum species, tam graves tentationes patitur, ut impossibile sibi esse credat, castitatem perpetuam servare, ideoque propemodum statuat, commissionem ab Ordine petere. Quæritur, quomodo muniendus sit contra tam gravem tentationem?

Responsio.

X. Inprimis studeat illi falsam persuasionem emovere, quâ judicat, impossibilem sibi castitatis observantiam esse, eumque in finem ipsi narret, quid S. Augustino olim contigerit, qui, cum simili persuasioni deceptum animum gereret, quondam continentium cum bino Puerorum & Puellarum grege in visione obiectam vidit, & ore subidente dicentem audivit: Po-

merunt isti, & ista, & tu non poteris? à quo tempore tantam facilitatem in servanda castitate expertus fuit, ut ultro exclamavit! *O quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metu fuerat, iam dimittere gaudium erat.*

XI. Secundò eidem narret, quid S. Thomæ Aquinatis venerit, quòd nempe ob victoriam unicam generosam de impudica muliere reportatam, ab Angelis baltheo circa lumbos sit succinctus, & ab eo tempore nullam unquam carnis tentationem senserit. Unde meritò & ipse Norbertus sperare potest, quòd, si semel iterumque fortiter contra ejusmodi tentationes certarit, magnam denique & ipse in servanda castitate facilitatem per divinam gratiam sit experturus.

XII. Tertiò illi narret, quid S. Ignatio Lojolæ ab initio suæ conversionis obtigerit, dum scilicet post votum castitatis coram B. Virginis altari in monte Serrato factum, & noctem pervigilem in precibus, quibus se dictæ Virginis tutelæ, patrocinioque commendaverat, ductam usque adeò in castitatis proposito firmatus sit, ut toto vitæ tempore nullam amplius difficultatem in ea servanda fuerit expertus. similem operam P. Ledesma ejusdem Societatis Sacerdos expertus est, qui, cum pariter de castitate servanda propè desperaret, B. Virginis ope imploratâ, ipsam cum S. Maria Magdalena & SS. Catharinis Martyre & Senensi aspectabilem habuit, quæ promisso ad castitatem tuendam auxilio, in habitu hanc stropham per socias cantari præcepit: *Divina res est castitas, majora sed sunt premia, quæ continenti dat DEVS.* Utatur ergo & ipse simili refugio, & simile haud dubiè auxilium & robur experietur.

XIII.

XIII. Quartò similiter narret, quid S. Paulofatet à DEO responsum, cùm carnis stimulum, quo vehementer colaphizatus fuerat, contigerit, quòd scilicet audièrit à DEO: *sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Gaudeat proin & Norbertus tam præclaram, sibi occasionem offeri virtutis periciendæ, & specialiter amoris erga DEUM ostendendæ, qui nunquam sanè clarius demonstratur, quàm quando tanta sibi ipsi in respuenda summa, ut aliqui sibi fasò persuadent, voluptate violentia infertur; cùm in omnia Christianorum certamina, duriora sint præcastitatis, teste S. Augustino; nam ibi continua pugna & rator victoria reperitur. Unde meritò S. Gregorius l. 3. past. ait: *Admonendi sunt peccatum carnis irascunt, ut incessanter præmia suspiciant, & libenter præcul dubio tentationum, quas tolerant, labores calcant, si enim attendatur felicitas, quæ scilicet transitu attingitur, leve fit, quod transeundo laboratur.*

XIV. Quintò suadeat illi, ut diligenter se examine, an omnes regulas & industrias pro castitate servanda in Ordine suo præscriptas diligenter observaverit, hæc enim obedientiam & custodiam præcipuum esse modum pro tuenda castitate, jam olim senserunt SS. Patres & Asceticæ Ministri, inter quos P. Balthasar Alexandrez, uti in l. 5. vit. refertur, dicere solebat, securitatem in agendo cum proximo esse valde magnam, adeo ut si quis ex obedientia infames fæminas accederet, mundissimas ibi cogitationes haberet, quasi esset aliquis Angelus; qui tamen si ex voluntate propria detineretur, fœdissimis cogitationibus vexaretur. Hinc meritò S. Augustinus dixit: *Expedi inferius subijci superiori, ut ille, qui subijci sibi vult id, quod est inferius*

se subiciat superiori suo. Agnosce ordinem, quare pa-
tem. Tu DEO, tibi caro. Quid iustus? quid pul-
chrius? tu majori, tibi minor. Servi tu ei, qui te fecit,
ut tibi serviat, quod propter te factum est. Quod i-
psam etiam confirmans pius Alceta l. 3. c. 13. discite,
ait, celeriter superiori tuo te submittere, si carnem pro-
prium optas subjugare; citius namque exterior vincitur
inimicus, si interior homo non fuerit devastatus.

§. III.

Tentatio III. Circa Obedientiam.

XV **C**olumbanus Religiosus asperum valde & im-
mitem superiorem nactus, continuas ab eo
inreptiones patitur, sed & graves non raro pœnitentias
persolvere cogitur, & quod maximè queritur, du-
cillima imperia absque omni paterni animi sensu impo-
sita perficere jubetur, unde suavissimum alioqui obe-
dientiæ iussum propè importabile sibi effectum esse
facetur. Queritur, quomodo huic tam gravi tenta-
tioni sit occurrendum.

Responsio.

XVI. Inprimis illi exemplum Christi ante oculos
ponat, qui non tantum sanctissimis suis Parentibus,
sed etiam impiissimis Præsidibus summam obedientiam
præstitit, etiam si difficilima, atque ad ipsam us-
que ignominiosissimam ac crudelissimam mortem or-
dinata imperia injungerentur. Unde S. Petrus Ep. 1.
c. 2. tam sollicitè monet, ut Dominis & superioribus
non tantum bonis, sed etiam dyscolis obediatur, quia
videlicet unus æquè, ac alter personam DEI repræsen-
tat, atque aded, quidquid illis præstatur, DEUS sibi

Q

exhi-

exhibitum æstimat, uti rectè Nicolaus I. Papa in Ep. ad Mich. Imp. notavit dicens: *Prelati cum magnæ reverentiæ tractandi sunt, nec eorum sunt mores aut res taxanda, quia cum DEI locum teneant, ejusque Personam referant, ipse sibi injuriam irrogatam deputat, quàm in Prelatos factam considerat.* Dicit non detraxerit, inquit, & Principi populi tui non maledices. DEI vocat Prelatos ac Principes populi, ut in illis DEI consideremus, & injuriam illorum, Dei esse injuriam sciamus.

XVII. Secundò illi referatur, quid DEVS olim Gertrudi pro defectu cujusdam personæ, quæ Congregationi præerat, oranti dixerit his verbis: Ego caritatis abundantia pietatis, dulcedinis, & dilectionis meæ de vinæ, quâ Congregationem hanc elegi, permittam habere aliquos defectus etiam illis, qui præsunt, inde meritum Congregationis augeatur; nam major virtus est, subjici ei, cujus defectus cognoscimus quàm alteri, cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino superiores habere aliquos defectus, & errorum veritate curarum quandoque maculari, ut magis humilientur. Subditarum profectus crescit tam ex defectibus, quàm profectibus earum, quæ præsunt: similiter meritum illarum, quæ bene præsunt, crescit tam ex defectibus, quàm profectibus subditarum. Agnoscat ergo Columbanus providentiam DEI benignissimam, & tam præclaram virtutum & meritorum augendorum occasionem elabi non sinat.

XVIII. Tertiò illi doctrina Richardi de S. Victoris sequentibus verbis tradita suggeratur: *Dei sunt, quæ solent obedientia perfectionem præparare, est, ne cogamur vel amata deferere, vel aspera tolerare.*

Sed si semel animus vel amore abstinentia, vel patientia perfecte incaluerit, protinus Ruben, id est, timor DEI ad omnem obedientiam absque ulla contradictione se subdit. Qui enim tam adversa perpeti, quam prosperis non delectari apud semetipsum statuit, quæ difficultas ejus obedientiam minuerè poterit? Si enim dura & aspera quæque pro DEI amore etiam per memetipsum appeto, cur non magis hac ex adjuncta obedientia ad majoris meriti gloriam tolero?

XIX. Quarta suadeatur, ut sæpe Famulorum, Ancillarumque integros Greges menti obijciat, & quantu hi, qualiaque à suis Dominis vilissimæ mercedis, & tenuis victus gratia perpetiantur, consideret, ut vel sic erubescat, quod propter DEUM & æternæ felicitatis spem ipse pauciora longè, & leviora sustinere, & horum timore superioribus suis, qui Sacerdotes plerumque sunt, & viri magnis à DEO donis & honoribus exornati, obedire nolit.

XX. Quinto in memoriam illi revocetur, quod Religionem utique eâ intentione intraverit, ut dicere cum S. Paulo posset: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini mei JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gal. 6. quidni ergo ut cadaver se tractare pro libitu sinit? cur non insensibilem se ad omnes injurias & aspera quæque ostendit? cur non applicat sibi doctrinam Abbatis Bionisij apud Cassianum l. 4. inst. coll. 35. dicentis: *crux nostra timor Domini est; sicut ergo crucifixus jam non pro animi sui motu, membra sua quoque movendi vel convertendi habet potestatem; ita & nos voluntates nostras ac desideria non secundum id, quod nobis suave est, ac delectat ad presens, sed secundum le-*

Q 2

gem

gem Domini, quâ nos illa constrinxerit, applicare debemus.

XXI. Sexto suadeatur, ut exempla eorum, qui durissimos Superiores cum magna patientia sustinuerunt, ob oculos ponat. Sic de Libertino Monacho legitur, quod ab Abbate suo percussus suppedaneum scabello, & quoad totam faciem tumidus & lividus effectus illis, qui, quomodo hæc vulnera & tumores ei obtrigissent, quærebant, nihil contra superiores dixerit, sed se in scabellum incidisse responderit, ut in spec. Ex. dist. 1. ex. 5. refertur. Sic etiam Innocentius senis cujusdam morosi & iracundi in Asia Diapulus per novem annos non modò injurias & ignominias, sed etiam verbera & plagas quotidie ab eis sustinuit, ita ut semper ferè aut oculum, aut collum, aut caput lividum aut vulneratum haberet, & tamen ei toto hoc tempore summam semper obedientiam constantissimè exhibuit, ut ibidem. d. 2. ex. 244. narratur; ut adeo meritò P. Petrus Faber à Societate Jesu adhortatus sit subditos, ut in superioribus non mala, sed sola bona considerarent, imò si viderent, eos longè à virtute abesse, eò acrius emitteretur ipsi, ut se divini amoris, timorisque respectu statu suo se perficerent diligentia, fidelitate, & obsequio, nam ita demum ubi gratos ipsi

DEO efficerent, dignos per obedientiam fore, quibus etiam boni Præsides concederentur.



§. IV.

Tentatio IV. circa alias Religionis molestias.

XXII. **B**onifacius Religiosus putans se magna cum quiete in Religione victurum, omnia alia experitur; nam & orare assidue, & continuo laborare, aut in cella solitarius sedere, & lectioni spirituali, aliisque similibus functionibus incumbere cogitur, ex quibus tamen omnibus ingens potius sibi fastidium, tædiumque, quam voluptatem generari facetur; nec tamen remedium sufficiens ad superandum hoc tædium, tentationemque reperit. Quæritur, quomodo huic tentationi sit obviandum?

Responsio.

XXIII. Inprimis ei ostendat, quod, cum professionem semel in Religioso Ordine fecerit, perfectio, quæ est finis Religionis, ad quem omnes Religiosi tendere debent, facta sit centrum illius, atque adeo, quemadmodum nulla res creata quiescere unquam potest, nisi in centro suo (uti in Elementis maximè patet) ita nec ipse veram quietem unquam reperturus sit, nisi perfectionem studiosè sectetur, uti rectè Thomas Kemp. l. i. c. 25. advertit dicens: *Religiosus fervidus omnia bene portat, & capit, quæ illi jubentur. Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione caret, & exteriorum querere prohibetur.* Unde meritò hortatur: *Esto vigilans & diligens in Dei servitio, & cogita frequen-*

Q₃

quen-

quenter: ad quid venisti, & cur seculum reliquisti? Nonne ut Deo viveres, & spiritualis homo fieres: igitur ad profectum serveas; si enim dederis te ad servitium, invenes magnam pacem, & senties levorem laborem propter DEI gratiam, & virtutis amorem.

XXIV. Secundò illi ostendat, quanta iucunditas insit statui Religioso, si quis ad eam capiendam legitime se disponat. Ita ut Chrysostomus in Matt. dicere ausus sit, inter delectationes Mundi & Religionis tantum esse discrimen, quantum est inter deos & porcos in suo cœno conditè grunnientes. S. Laurentius Justinianus velle dicere solitus sit, consultò à DEO esse factum, ut Religiosi statûs iucunditatem occultaret, quoniam si eam homines cognoscerent, futurum esset, ut mundus planè totus exhauriretur, dum omnes Religiosi fieri vellent. Unde meritò iterum exclamavit pius Author l. 3. c. 10. dicens: *O grata & iucunda DEI servitus, quâ homo veraciter liber & sanctus! O sacer status Religiosi famulariûs, qui hominem angelis reddit equalem, DEO placabilem, deemonibus terribilem, & cunctis Fidelibus commendabilem! O amplectendam, & semper optandum servitium, quod summum promeretur bonum, & gaudium acquirit sine fine mansurum!* Inquirat ergo, an non obstat lum fortè opponat, quò minùs talem iucunditatem experiatur: an non in ipso etiam locum habeat, quod citatus Author l. 1. c. 21. insinuat dicens: *Quòd deus nas (consolationes) non habemus, aut rarius sentimus, nos in culpa sentimus, quia compunctionem non querimus, nec vanas & externas omnino abjicimus.*

XXV. Tertiò illi ostendat, quàm copiosam illi gratiam ad vocationem implendam offerre paratus sit DEUS, si ad eam accipiendam se disponere velit, ut meritò S. Bernardus in l. de ded. Eccl. dixerit, videri sibi in Religiosorum animis idem per gratiam fieri, quod in Ecclesiis dedicandis fieri solet, ut pictæ cruces oleo sacro inungantur; hinc est, inquit, quòd multi abominantur, & fugiunt penitentiam, crucem quidem videntes, sed non videntes unctionem. Vos, qui experti estis, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam adjuvantis spiritûs suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. Dicat ergo & ipse cum libello de lmit, l. 1. c. 19. *Adjuva me Domine DEUS in bono proposito, & sancto servitio tuo, & da mihi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.*

XXVI. Quartò hortetur ipsum, ut meminerit, quid idem Author l. 1. c. 25. prudenter notaverit dicens: *Vnum est, quod multos à profectu, & ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis seu labor certaminis.* Enimverò illi maximè præ ceteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis gravia & contraria sunt, virilius vincere nituntur; nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat. Unde concludit tandem & hortatur in fine; *Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum, & quidquid de aliis sit, non negligas teipsum. Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.*

XXVII. Quintò suggerat illi consilium ejusdem Authoris dicentis lib. 1. cap. 18. *Intuere Sancto-*

rum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio
refulsit, & religio, & videbis, quàm modicum
& penè nihil, quod nos agimus. O quàm strictam
abdicatam vitam Sancti Patres in Eremito duxerunt!
quàm longas & graves tentationes pertulerunt! quàm
frequenter ab inimico vexati sunt! quàm crebras
fervidas orationes DEO obtulerunt! quàm rigidas
continentias peregrerunt! quàm magnum zelum & fervorem
ad spiritualem profectum habuerunt! quàm fortiter
bellum adversus edomationem vitiatorum gesserunt! quam
puram & rectam intentionem ad DEVM tenuerunt.
Per diem laborabant, & noctibus orationi diutius
cabant, quamquam laborando ab oratione mentali
nime cessarunt. Omne tempus utiliter expendebant,
omnis hora ad vacandum DEO brevis videbatur, &
pro magna dulcedine contemplationis etiam oblivio
tradebatur necessitas corporalis refectiois. Datis sunt
in exemplum omnibus Religiosis, & plus provocare
debent ad bene proficiendum, quàm tepidorum
ad relaxandum. Utinam in te penitus non dormi-
ret profectus virtutum, qui multa sapius exempla
Sanctorum devotorum.

XXVIII. Sextò denique ostendat illi, quàm
modò fastidiosa, sed potiùs summè jucunda sit solitu-
tudo, si ei assuescat; uti rectè iterum pius Author
c. 20. advertit dicens: Cella continuata dulcescit, &
malè custodita tadium generat. Si in principio con-
versionis tue bene eam incolueris, & custodieris, erit
tibi postea dilecta amica, & gratissimum solatium.
In silentio & quiete proficit anima devota, & discit abso-
luta scripturarum. Ibi invenit fluentia lacrymarum,
quibus singulis noctibus se lavet, ut conditori suo tantum
famili-

familiarior fiat, quanto longius ab omni seculari tumultu degit. Quid potes alibi videre, quod hic non vides? ecce cœlum & terra, & omnia elementa, nam ex istis omnia sunt facta. Si cuncta videres presentia, quid esset, nisi visio vana? Leva oculos tuos ad Deum in excelsis, & ora pro peccatis tuis, & negligentis: dimitte vana vanis, tu autem intende illis, quæ tibi præcepit Deus. Claude super te ostium tuum, & voca ad te *ESVM* dilectum tuum: mane cum eo in cella, quia non invenies alibi tantam pacem. Quæ omnia etiam SS. Patres copiosè confirmant, inter quos S. Hieronymus, oppidum, inquit, mihi carcer est, & solitudo Paradisus. D. Bernardus verò, cœli & celle, inquit, habitatio cognata, cœlum & cella cognitionem habent nominis, sic & pietatis. Cœlum dicitur à celando, & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis; quod quaritur in cœlis, hoc & in cellis, nempe vacare Deo, frui Deo. Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & aquè delectantur in cellis atque in cœlis, à cella in cœlum ascenditur. Cella terra sancta est, & locus sanctus, ibi anima Deo jungitur, in templo & in cella divina tractantur, sed sæpius in cella; ut aded verè dixerit non nemo: Nunquam minùs solus sum, quàm cùm solus sum.

CAPUT II.

DE TENTATIONIBVS MONIALIUM.

XXIX. **C**Lara Monialis, Juvenis etiamnum & vegeta, multas quidem tentationes aliis Religiosis communes, sed eam præcipuè Monialibus propriam patitur, quòd intra claustrum monasterii

Q s

sterii

sterii inclusa, neque cum parentibus & amicis, neque cum aliis externis conversari, & nonnullum ex illis quio illorum solatium haurire possit. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem muniri queat?

Responsio.

XXX. Inprimis illi ostendat, peculiaris favoris in diem hoc esse, quod DEUS ita illam includit, ut enim Venatores Accipitri oculos obvelant, ne meliorem prædam infectatus nobiliorem dimittat; in DEUS obvelat oculos mentis & corporis monialibus, ne videant, & desiderent vanitatem mundi, & sic DEUM concupiscere, & amare omittant. Sicut item Imagines elegantes & altaria velis obteguntur, ne sordibus infectæ splendorem suum & pulchritudinem amittant, ita DEUS moniales vult obvelatas esse, ut tantò pulchrior ipsarum anima, puriorque remaneat, aptaque fiat ad sacrificium holocausti in ea offerendum, oret proin cum Davide Psal. 138. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem; sicutque ait Tertullianus l. de vel. Virg. c. 15. similem Virginem fecisse ait, confugiat ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, quo bonum suum protegat adversus ictus tentationum.*

XXXI. Secundò illi finem & scopum, ob quem monasterium ingressa est, in memoriam revocet, ideoque illis citati Tertulliani c. 16. verbis eam alloquatur: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam, incede secundum spiritum tui voluntatem.* Quænam autem sit ejus voluntas indicat idem Doctor dicens: *Christus, qui & alias sponsas, & maritalas velari jubet, utique moniales*

magis suas. Et iterum: *Murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Quid alios videre, aut ab aliis videri desiderat, qua ad Dominum videndum se praeprarat? Zelotypus est Jesus,* ait S. Hieronymus in epist. ad Eustach. Non vult ab aliis videri faciem vestram.

XXXII. Tertiò illi insinuet, quòd cum omnes mulieres intra domum morari oporteat (unde veteres, teste Plutarcho, testudinem illis pro symbolo assignarunt, easque *Domiopotas* appellarunt) magis sponsam Christi hanc solitudinem amare queat, maximè cùm implemet Osee c. 2. dicat: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Si ergo amantes se invicem carnaliter semper solitaria loca, in quibus mutuò colloquantur, quærunt, & eligunt, & nihil magis, quàm Arbitros & spectatores oderunt, quantò magis Sponsa Christi cum dilecto suo locutura solitudinem quærere, & amare debet. Sequatur ergo consilium S. Augustini de bono viduit. sic hortantis: *Currite ad illum, placete illi ex illo, vivite cum illo, in illo, de illo.*


XXXIII. Quartò eidem spem faciat, quòd, sicut aviculæ inclusæ ab initio quidè solitudinis impatientes exitum, ubique sollicitè quærunt, sed paulò post eidem solitudini assuetæ adeò illà delectantur, ut neque aperto etiam ostio exeant, ita & ipsa similem effectum tantò certius sperare possit, quantò forrior est gratia divina, quàm consuetudo; & quantò plura exempla hujus ipsius voluntariæ permanentionis ab oculis in omni loco & tempore versantur.

XXXIV. Quintò eidem suadeat, ut Rachelis Monialis exemplum sequatur, quæ, à Judaismo conversâ, & in monasterium recepta videret, alias suas sorores

iores

rores à parentibus & cognatis visitari, sibi autem utpote è Judæis oriundæ nihil simile fieri, coram imagine B. Virginis se prostrabat, & amabili vultu dicebat: Mater amantissima, en aliæ Sorores à Matribus & Amicis solatium & gaudium habent, ego autem pauper & pupilla, & indigna ad te Dominam & Cognatam meam fidenter accedo: Tu sola præ omnibus mihi est refugium & solamen. Quo facto majus solatium quam ulla alia Soror ex suo cum amicis colloquio portavit. Idem ergo respectu Christi Sponsi sui Clara observet, sibi que à Christo dictum existimet: *Numquid ego tibi melior sum, quàm omnes alij homines & amici?* nec dubitet, quin similem effectum & solatium sit expertura.

XXXV. Denique & saluberrimam S. Gregorii doctrinam ei suggerat dicentis: *Si carni quidlibet abseque- rimus, mox in spiritu, quod delectat, invenimus: tentationi quippe anima si exterior evagatio claudatur, interior accessus aperitur; nam quò extra se spargi propriam disciplinam mens non potest, eò super se per profectum intendere amplius potest; quia & in altum crescere cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur: ut cum rivus fontis obstruimus, fluentia surgere ad superiora provocamus.* Hinc & in Threnis dicitur: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levabit se super se.* Seneca verò ait: *Quàm contempta res est homo, nisi supra humana surrexerit.*



CAPUT III.

DE TENTATIONIBVS CVRATORVM
ANIMÆ.

XXXVI. **S**icut omnium Officiorum gravissimum & periculosissimum est munus curandarum animarum, ita variæ quoque tentationes in illo obsequio occurrunt; nam aliæ quidem circa distractiones, aliæ circa talenta ad illud necessaria, aliæ circa difficultates & labores, aliæ circa pericula corporis & animæ, aliæ denique circa fructum laborum occurrunt: de quibus proin omnibus ordine in hoc capite agendum erit.

§. I.

Tentatio I. circa distractiones hujus Officii.

XXXVII. **S**apientius sacerdos solitudini & quieti assuetus, cum animarum curam suscepisset, advertit, tantopere se hujus muneris functionibus & laboribus distrahi, & occupari, ut vix sibi tempus ad sacrificium Missæ offerendum, officiūque divinum dicendum relinquatur. Quare propemodum decernit, curam animarum iterum relinquere; prius tamen à confessario hoc de negotio consilium petit. Quæritur, quid illi respondendum sit?

Responsio.

XXXVIII. Inprimis illi significet, quid P. Balthasar Alvarez Societatis JESU, insignis Asceta dixerit, nimirum nimium hoc solitudinis & quietis desiderium in hominibus ad curam animarum vocatis, non esse spiri-

spiritum DEI, cū illis constet, divinam Majestatem contrarium velle; & ideo talibus quietem amantibus DEUM saepe subtrahere portionem spiritus tabique otiosis & inutilibus servis. Id quod Alphonsus de Positum de Ordinis S. Francisci, teste Rodriguez p. 3. tr. 1. c. 6. Quare expertus. Cū enim hic bene multos annos in excelsis lendis Indiæ Novalibus gnaviter desudasset, & tandem fessus, studio recolligendi se, atque supremo curam tamini præparandi, sepositā aliorum curā, in Hispaniam migrasset, falsus est, quoties orationi, vacabat, Christum crucifixum sibi ob oculos versari, sequentibus verbis expostulantem: *Quare me in hac crucifixione tuam quietem, commodoque sectaris?* unde ad statum nem reversus, strenuum multis annis operarium egit. Nimirum talibus non immeritò illud D. Bonaventuræ in pharetra amoris p. 2. c. 1. occini posset: *Quomodo quis potest dicere, se diligere DEVM, & ejus amore appetere, qui ejus imaginem videt in sterquilino jacere, & non curat? aut si cogitat, quod Filius DEI pro animabus redimendis mortuus est, & ipse pro animabus mori non cupit? quomodo credis, te amicitiam habere, qui ejus sponsam ab adulterio non custodis: eam festinanter ad sponsum non reducis?*

XXXIX. Secundò illi narret, quid olim P. Martinus Guttierrez Societatis JESU Francisco Ribera Doctore Theologiæ responderit, teste Ludovico de Ponte c. 30. vit. P. Balth. Alvar. ; cū enim hic decrevisset, se colligere, & domum quampiam prope Sacellum D. Virginis, quam impensè amabat, extruere, & inde ad vicina loca concionandi gratiā excurrere, reliquum verò tempus cum libris consumere, respondit P. Martinus: Domine Doctor, placet huic modum

modi propositum, sed attendite, quis tunc retineat si-
mi optimum pignus, quod habet, propriam scilicet vo-
luntatem. Quæ vox adeo cor ejus penetravit, ut sta-
tim decreverit, relicto mundo Societatem ingredi.
Quare optimè faciet Sapritius, si exemplum Sponsæ se-
quatur, de qua S. Bernardus super verba cant. 2. Sur-
ge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea,
Et veni: discurrens sic loquitur: Audit Sponsa, ut sur-
gat, Et properet, haud dubium, quin ad animarum
lucra. Hoc siquidem vera Et casta contemplatio habet,
ut mentem, quam divino igne vehementer accenderit,
tanto interdum repleat zelo Et desiderio acquirendi DE-
UM, qui eum similiter diligant, ut otium contemplatio-
nis pro studio predicationis libentissimè intermittat, Et
rursus potita votis aliquatenus hac in parte tantò arden-
tius redeat in idipsum, quantò fructuosius intermississe se
meminerit, Et iterum sumpto contemplationis gustu va-
lentius ad conquirendum lucrum solitâ alacritate recur-
rat.

XL. Terriò illi ostendat, quantopere DEO
placeat ejusmodi proximo impensa obsequia, eumque
in finem verba S. Laurentij Justiniani c. 12. de cast.
connub. referat sic loquentis: Anima, que lucrata est
verbo, verbo fructificare conatur, quoties se offert causa.
Quandocunque impellitur seu vocatur à verbo, non mi-
nus ardentè, quàm prudenter postponit se, sua interpo-
nit, ut vacet Proximo, ut Proximi fecundetur profe-
ctibus. Nullo quidem exercitio congruentius occupatur
Sponsa, quàm cum intendit animarum lucris; hoc ete-
nim sacrificio nihil majus, nihil suavius verbo redolet.
Vnde Petro, cum diceret: amas me? illèque responderet:
Domine, tu nòsti omnia, tu scis, quia amo te: ipse mox
intu-

intulit dicens: *Pasce oves meas.* Nihil amanti ardentius
 carius potuit committere, quam illud, propter quod exi-
 naniri voluit, & mori. Quod ipsum confirmans S. Chrysostomus Ep. 54. quâ Gerontium Presbyterum
 ad iter pro animarum salute suscipiendum hortabatur, post alia sic ait: *Hujusmodi peregrinationes suscipere
 longè præstantius est, atque conducibilius, quam domi
 desiderare.* Illic enim degens etiam hæc habere potes, quæ
 nunc habes, hoc est jejunium, vigiliæ, ceteraque Philo-
 sophia Christiana genera; domi autem desidens ea
 erari non potes, quæ si in illa regione commorareris, ad-
 pisci potes, nimirum tot animarum salutem, periculorum
 mercedem, tantæq; animi promptitudinis ac studij pro-
 mium.

XLII. Quartò illi ostendat, quòd hoc ipso, quòd
 proximo vacet, in studio & augmento propriæ per-
 fectionis non parùm proficiat, quia, teste S. Grego-
 rio, charitas, quæ divisa unire consuevit, cor iusti divi-
 per multa compellit, quod tamen tantò ardentius à DEO
 colligit, quanto latius per sancta desideria spargit. Cui
 adstipulans D. Bernardus, is, inquit, puritatis infero-
 ris gloriâ non fraudatur, qui dicere potest cum Prophetâ
Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde. Bene
 oblivio, si te ipsum nescias, ut proximo prosis; bene mor-
 tem mortuus es à corde, si jam tibi vivere non studas,
 sed ei, qui pro te mortuus est. Sanè in tanta oblivione
 necesse est cor bene esse consciùm sibi, quò te in lucro se-
 riùs foris extendat, cum securam intra se reliqueris con-
 scientiam. Hinc & alibi ait: *Noli nimis insistere
 lris contemplationis, quia meliora sunt ubera predicationis,*
*nam etsi Rachel formosior, Lia tamen
 fecundior est.*

§. II.

Tentatio II. Circa carentiam satisfactionis in officio obeundo.

XLII. **P**Aphnūtius Cooperator recentē ad curam animarum promotus, cū nec Confessio- nes audire, nec conciones habere, nec alia ministeria obire cum satisfactione se posse adverteret, gravem animo pusillanimitatem, & diffidentiam concepit, & adeo abdicare se susceptā curā decrevit. Queritur, quomodo confirmandus sit in antiquo proposito?

Responsio.

XLIII. Inprimis illi ostendat, quantopere hæc diffidentia DEO displiceat; ratione cuius plurimis animarum curatoribus evenit, quod olim Num. 20. Moyli & Aaroni dixit DEUS: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram Domino, non introducere hos Populos in terram, quam dabo eis.* Sed & de illidem meritò dicet, quod Num. 14. de Populo Israëlitico ad Moysen dixit: *Vsq̃uequo detrahet mihi Populus iste? quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia &que consumam.*

XLIV. Secundò illi ostendat, quantas promissiones fecerit DEUS assistentiæ suæ iis exhibendæ, qui pro gloria suæ & animarum salute desudaverint. An non enim apertè Luc. 21. dixit: *Cū steteritis ante prædes & Reges propter me, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquimini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere,*

R

sistere,

sistere, & contradicere omnes adversarij vestri. Et certe si olim pro tabernaculo ædificando vocavit Deus ex nomine, & illum Spiritu DEI, sapientiâ & intelligentiâ, & scientiâ in omni opere implevit, eique locum Ooliab dedit, ut facerent cuncta, quæ præceperat Moysi; quantò magis eos, qui tabernaculum spirituale in animabus, quæ sunt templum DEI, ædificant, moliantur, necessariâ scientiâ, aliisque talentis non destitueret. Unde meritò P. Balthasar dicebat, ex quo DEUS aliquem vocavit ad certum officium, eum etiam deducitur cum profectu. Quod si enim, per oneret, quàm ferre possit, seipsum onerat, quia non recipit supplere, quod illi deest. Id igitur ego vellem inquit, ut ipse manu suâ mihi aliquid imponeret, quod meas facultates excederet, nam hoc ipso teneretur mihi dare.

XLV. Terribè illi ostendat, quàm rudes olim Apostoli ante Adventum Spiritûs Sancti fuerint, & quàm potenter postea & abundanter virtute ex alto fuerint induti, ita ut totum mundum propè ad Catholicam fidem converterint, meritòque S. Paulus 1. Cor. dixit: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confunderet sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non gloriaretur omnis caro in conspectu ejus.* Quod ipsum testimonio S. Augustini magis confirmari potest, qui tr. 7. in Evang. illa verba Joannis c. 1. *Ecce ego mitto ad vos Israëlitam, in quo dolus non est: explanans, quid faciamus inquit, Fratres? deberet & iste primus esse in Apostolis. Et non solum primus non nominatur in Apostolis, nec primus, nec ultimus inter duodecim Nathanael,*

...um testimonium perhibuit Filius DEI. Cujus cau-
sam mox subiiciens, intelligere debemus, ait, ipsum
Nathanaelem eruditum & peritum legis fuisse; propte-
rea noluit illum Dominus inter Discipulos ponere, quia
idiotas elegit, unde confunderet mundum.

XLVI. Quartò illum hortetur, ut firmiter credat,
quod S. Paulus Philip. 2. dixit, quòd scilicet DEUS
est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona
voluntate, id est, juxta mensuram fiduciæ, quam de
suis auxilio, gratiæque concepimus, ita ut verissimè S.
Bernardus s. 15. in Psalm. qui habitat: dixerit: *Tantum*
per nos operabitur DEVS, quantum se nostra in eum
fiducia extenderit. Quod confirmans S. Cyprianus su-
per illa verba Deut. 11. *Omnis locus, quem calcaverit*
vesiter vestre spes vestra est, & quantumcunque illa
processerit, obtinebit. Merito ergo etiam Paphnutius
sperare potest in Domino, dicerèque cum S. Paulo
1. Cor. 3. *Fiduciam autem talem habemus per Christum*
ad DEUM; non quod simus sufficientes cogitare aliquid
ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est, qui & ido-
neos nos fecit Ministros novi Testamenti.

§. III.

Tentatio III. Circa laborum difficultatem

XLVII. **B**arnabas Parochus magni cujusdam Pagi
advertis, nimios esse labores, quos si-
ve in habendis concionibus & Catechismis: sive in au-
diendis confessionibus: sive in visitandis, & per Sa-
ramenta muniendis infirmis: sive propter domesticam
Familiam gubernandam, œconomiãq; administran-
dam occurrunt, tantum muneris sui fastidium conci-
pit, ut propè de eodem abdicando se resolverit; quam
R 2 proin

proin suam resolutionem Confessario suo aperit. Quæritur, quomodo hæc tentatio ei eripienda sit?

Responsio.

XLVIII. Inprimis illi ostendat, quid S. Chrysostomus ho. 43. illa S. Pauli 1. Cor. 16. verba: *Ostium mihi apertum est magnum & Adversarii multi*: explicans dixerit, dum quærit: *si magnum*, quomodo *adversarii multi*? & respondet: *Quod multi adeo relinquitur, indicium est Evangelica victoria. Nusquam enim nocentissimus ille adversarius irritatur gratia quam cum suorum instrumentorum multa eripi sibi videtur. Verum nos, ubi magnum aliquid & egregium opere statuerimus, nequaquam id nullo labore constituimus, sed cogitemus, sed utilitatem magis respiciamus. Vnde igitur exemplum ejus in Paulo, qui nihil, quod multum esset Adversarii, cessat, verum, quod magnum paratum ostium, instat diligenter negotio.*

XLIX. Secundò eidem ob oculos exemplum Jacobo Patriarchæ ponat, cui quatuordecim anni in gravissimis laboribus consumpti breves & jucundi hæc de causa videbantur, quia per illos Rachelem tantum à se dilectam lucraturum se sciebat; quanto magis ergo ipsi omnes labores jucundi accidere debent, si minerit, se & pulcherrimas animas, & ipsam Deitatem infinitè amabilem per totam æternitatem fructum dam lucraturum; an non proin meritò illis piji de imit. Christi verbis l. 3. c. 47. *se excitabit: & non te frangent labores, quos assumpsisti propter me, & tribulationes te dejiciant usquequaque, sed mea promissa in omni eventu te roborent: & consoletur. Ego suffragor sum ad reddendum supra omnem modum & mercedem*

Non diu hic laborabis, nec semper gravaberis doloribus. Expecta paulisper, & videbis celerem finem malorum. Veniet una hora, quando cessabit omnis labor & tumultus. Modicum est, & breve, omne, quod transit cum tempore. Age, quod agis, fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua.

L. Tertiò Pastorum quoque aliorum oves corporales custodientium exemplum saluberrimis S. Caroli Borromæi verbis proponat illi: Perpendamus, inquit, ovium Pastores, illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum studiis patiuntur. Illi sæpenumero unversum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem & qui in Lydia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam vagando circumferunt. Si tantum erga pecora diligentia impendunt Pastores illi, quam, quæso, excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus. Quis, quæso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur: si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus tanquam ad Nundinas currendum erat.

LI. Quartò denique perpendere eum jubeat, quantum non tantum laborum, sed etiam consolationum celestium ostium per munus hoc suum laboriosum ipsi sit apertum; id sanè DEUS Jeremiæ olim promississe videtur c. 15. dicens: Si separaveris pretiosum à vilis (id est animas à peccato) quasi os meum eris, id est, voluntate perinde repleberis: sicut ori per procurationem optimi cibi & potûs varias delicias procurare solemus; id quod S. Franciscus Xavierius expertus est, ut

R 3

qui

qui inter summos labores & difficultates tantis deliciis
& consolationibus cœlestibus affluebat, ut exclamare
cogeretur: satis est, Domine, satis est. Sed & P. Henriquez;
Henriquez; teste Orlandino p. 1. hist. Soc. l. 8. n. 1.
affirmavit, tantā in medijs pro animarū salute suscipiendis
laboribus esse copiam divinarum consolationum, ut quicquid
vis mallet his laboribus frangi, quā subitō in cœlestibus
rapi. In sede Juliacenſi verō Provinciæ Peruanae,
ceteri operarij nostri summos labores exhaustirent, omnino
que terreno solatio carerent, tam incredibili tantorum
eorum animi voluptate perfundebantur, ut sedes illa
Domicilium lætitiæ fuerit nominata, uti literæ anno
1603. Provinciæ Peruanae testantur, ut adeo memores
tales operarij de laboribus suis dicere queant, quod
David de doloribus Ps. 93. dixit: *Secundum multitudinem
dolorum meorum in corde meo (& laborum) consolationes
tue lætificaverunt animam meam.*

§. IV.

Tentatio IV. circa pericula corporis.

LII. **L**ucas cooperator advertens pestilentia
tagionem ingruere, ob quam rogatus
Parocho suo est, ut Pestiferorum ministerio
poni se patiatur, nullatenus adduci potuit, ut huic
titioni assentiretur, assiduò prætendens vitæ amittendæ
periculum, quod ex tali ministerio sibi certissimè
minere credebatur. Quæritur, quomodo roboratus
sit à Parocho contra talis periculi timorem.

Responsio.

LIII. In primis meminisse eum jubeat, quā malum
in tali periculo constitutos DEUS illæſos servaverit, &

eduxerit, ut meritò hîc locum habere videatur effatum Alceræ cuiuspiam dicentis: *vita, quæ propter virtutem despicitur, per virtutem melius conservatur*. uti præ alijs expertus est S. Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, qui, licet summa cum sedulitate plurimis pestiferis inserviêrit, semper tamen ab iisdem sanus & incolumis discessit, ut vita testatur.

LIV. Secundò pariter jubeat eum meminisse, quòd hoc ipso, quòd curam animarum suscepit, etiam Pastoris munus assumpserit, atque adedò tanquam bonus Pastor animam suam pro ovibus suis debeat, uti Christus partim verbo Jo. c. 10. partim exemplo docuit, cui etiam adstipulatur S. Basilius reg. 80. c. 14. & 16. dicens, operarios debere esse Pastores ovium Christi, qui, quandoque tempus postulat, ne animam quidem pro illis ponere dubitent, ut Evangelium illis impertiant. Imò & Patres ac nutrices illorum esse debere,, qui ex magnitudine ejus, quæ in Christo est, charitatis, parati sint, libenti animo communicare non solum DEI Evangelia, sed suam ipsorum vitam.

LV. Tertio illi ostendat, quàm multi reperiantur, qui cum iisdem periculis corporalia ministeria magna cum alacritate ac sedulitate exhibent iis ipsis, quibuscum ipse agere formidat; quàmque adedò erubescere ipse debeat, si illos lucri temporalis causâ tam generosè contemnere videat pericula talia, & ipse ob spem inæstimabilis præmii, lucrique animarum eadem subire formidet.

LVI. Quartò denique eidem demonstret, quàm pretiosa in conspectu Domini, & optabilis sit mors, quæ in tali obsequio charitatis incurritur, talis scilicet, quæ ipsi Martyrio comparetur; sic enim S. Lauren-

rius Justin. l. de SS. Martyr : expressè ait : *Magnum prorsus est Martyrii genus , ultro se pro Christi amore dare periculis . Audi sine ferro Martyrem ex sola claritate morientem .* Et ideo in Romano Martyrologio 28. Febr. etiam recensentur illi Presbyteri , qui Alexandriæ , cum sub Valeriano pestis gravissima grassaretur , morbo illo laborantibus ministrantes , liberrimè mortem oppetièrunt , quos velut Martyres Religiosa piorum fides venerari consuevit ; de quibus etiam S. Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium l. 7. c. 16. sequens testimonium protulit : *Patribus , qui virtute erant præstantissimi , in hoc modum mortem oppetièrunt , adeò ut istud mortis genus , quod propter incredibilem pietatem , & robustam fidem suscipiebatur , nihil à splendore Martyrii abesse videretur .*

§. V.

Tentatio V. Circa pericula anima.

LVII. **L**iberius Parochus , cum frequenter illius S. Hieronymi in epist. ad Damasum tentationem animo volveret : *Difficile est inter spinas transsari , & inter illas nonungi ; & calcare terram pedibus , ita ut nec lutum , nec pulvis eis adhæreat : Et non rò etiam verissimam esse in seipso adverteret , dum gravissimas in Sacramentis administrandis , altissimas functionibus parochialibus obeundis tentationes pertiebatur ; statuit se curæ animarum penitus subiacere , aliùmque , qui loco suo eam suscipiat , constituere .* Quæritur , quomodo ab hac tentatione sit liberandus ?

Respon-

Responsio.

LVIII. Inprimis illi ostendat ex Marchantio tr. 1. lect. 6. in virga Aaron, quod DEUS, sicut novit hoc onus esse grave, sic & gratiam ad ferendum haud dubiè velit suppeditare; sciat item, & velit pericula temperare, & timoratis specialem protectionem impendere; sic enim protexit Abrahamum in Chaldaea, Lothum in Sodomis, Jobum inter infideles, Daniele in Babylone, quos omnes voluit esse perfectos in medio nationis pravæ; ut nemo animum despondeat in quocunque statu, sed potiùs se divinæ providentiæ, protectionique committat. Hinc P. Balthasar Alvarez dicere solebat, securitatem in agendo cum proximo, quando ex obedientia suscipitur, esse valde magnam, adeò, ut si quis obediendi causâ infames fœminas accederet, ut illas Christo lucraretur, mundissimas haberet cogitationes, quasi esset aliquis Angelus; qui tamen si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, fœdisibi cogitationibus ureretur. Nescio, inquiebat, quomodo quis possit tutum putare, quod à Domini voluntate recedit. Quanam, quæso, securitas esse potest, ubi DEVS non est? Certe Lancizius opusc. 13. n. 443. testatur, novisse se non paucos, qui ex missionibus plurium mensium redibant magis collecti, devoti, puri, circumspecti, & regularum observantes, quàm in Collegiis fuerint.

LIX. Secundò bene illi inculcet, quod, etiamsi DEUS non semper in ejusmodi periculis protegat à tentatione, hoc ipsum tamen ad majus meritum permittat ac præmium, id quod Marchantius lib. c. appposito exemplo ex Sophronio in cap. 3. prati spirit. confirmat, dum narrat, Cononi Presbytero Alexan-

R. §

drino

drino, cū in mulieribus baptizandis aut inungendis gravissimas tentationes experiretur, ideoque Monasterium deferere vellet, S. Joannem Baptistam apparuisse, & dixisse; tolera, & persevera: ego te ab hoc certamine liberabo. Cū verò ille post hanc adhortationem, puellā valde speciosā ex Perside oblatā, iterum timens scandalum, sumpto melos suo, omnino recederet, S. Joannes iterum apparuit, dixit: Revertere ad monasterium, & hoc te certamine eximam. Conone autem respondente, quomodo sperabo, quod toties pollicitus non præstitisti, respondit Sanctus: Volebam te pro hac pugna mercede donari, sed quia non vis, ecce aufero à te bellum hoc, mercede autem operis carebis; simulque ter sub umbilico signans usque ad eò omnem tentationem carnis abstulit, ut puellam illam baptizans inungens, mulierem esse non adverteret.

LX. Tertiò illi significet, quòd, licet interdum ex fragilitate ipsum labi contingat, certò tamen persuadere sibi possit, etiam ob talem lapsum non esse omittendam conversationem cum proximo, sed potius commoda longè majora, quæ inde proveniunt consideranda; id quod Marchantius l. c. ex illis Salomonis prov. c. 14. verbis ostendit: *Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est; ubi autem plurima segetes, manifesta est fortitudo bovis.* Quem locum ille allegoricè sic ad hunc scopum explicat: Sicut, qui curat bobus, habet præsepe, id est, stabulum mundum. Qui autem habet boves, immundius habet stabulum, habet tamen etiam multitudinem fructuum, sic qui curam animarum non suscipit, nec in agros Domini laborat, sed totus sibi vacat, fortè habet majorem

maio rem munditiem conscientiae. Sed qui boves suos jungit, id est, operas suas proximis navat, hic aliquando praesepe aut stabulum immundius habet; nam ex consuetudine hominum & negotiosa vita aliquid sordium saltem levium contrahere potest, uberior tamen fructus meriti. Quod ipsum alii similitudine duorum globorum, quorum alter aureus, alter argenteus est, declarant; uti enim aureus facilius quidem sordibus ex aëre nebuloso aut pulvere contractis inficitur, quam argenteus, ubi tamen per ignem aut aliud instrumentum purgatus fuerit, pretiosior longè est, quam argenteus; ita & is, qui cum proximo agit, facilius quidem maculam contrahit, quoad meritum tamen & charitatem longè pretiosior & acceptior est coram Deo.

LXI. Quartò denique eidem significet, quid Christus S. Gertrudi, uti l. 4. Rev. c. 47. videre est, dixerit: Si quis amans veritatem pro illa defendenda in aliquibus delinquit, durioribus verbis, zelo impatiente aliquos corripiendo, aut alio quocumque modo, sive negligentius, sive districtius agendo, hunc ego certò apud DEVM Patrem & omnes cœli cives fideliter excusabo, quemadmodum Mariam Magdalenam excusavi; imò pro ipso universa emendabo. Et aliàs cum adverteret, cor suum debile in aliquos defectus incidere, & tamen illud DEO offerret, ut in illo repausaret, Dominus respondit: Tuum debile cor affectu tali oblatum tantò gratiùs accepto, quam alterius cor forte; sicut magis acceptatur bestia multà veneratione excitata, quam domestica, eò quòd carnes ipsius tenuiores & suaviores sint ad vescendum.

§. VI.

§. VI.

Tentatio VI. Circa sterilitatem laborum.

LXII. **A** Nastasius Presbyter, & zelosus adma-
dum curator animarum multos quidem la-
bores & curas pro animarum salute suscepit, sed qui-
vidit, exiguum aut nullum propè fructum ex tot labo-
ribus se reportare, graviter tristatur, & ne frustra de-
ceps se fatiget, desistere à talibus infructuosis occupa-
tionibus decernit. Quæritur, quomodo abduc-
tus sit ab hoc proposito?

Responsio.

LXIII. Primò illi saluberrimam S. Chrylostomi
hom. 3. in 1. Cor. doctrinam & adhortationem pro-
ponat: *Si hodie nemini persuaseris, inquit, perse-
debis postridie: etsi nunquam persuaseris, mercedem
tamen integram habebis, etsi non omnibus, paucis
men ex multis persuadere poteris. Nam neque Apo-
stoli universo orbi persuaserunt, licet cum omnibus dis-
sputarint, & mercedem in omnibus assecuti sint. Noli
ergo, cum orbem terræ saluum facere non possis, etiam
parva contemnere. Neque majorum desiderio à pa-
vis te abstrahas. Si centum nequis, decem curam
scipias: Si decem non possis, noli quinque despiciere:
quinque vires tuas excedunt, unum ne contemna-
re. Quod si neque hoc possis, noli desperare, noli labora-
dere. Nonne vides in negotiationibus non auro dila-
xat, sed etiam argento negotiari mercatores? Nam
parva nihil contempserimus, assequemur & magna. Si
autem neglectui nobis illa essent, neque hæc facile as-
qui possemus. Sic singuli divites evadunt, cum magna*

inul & parva colligunt. Hanc doctrinam sanè firmiter animo impresserat S. Franciscus Xaverius, qui, ut l. 6. c. 17. vit. refertur, monebat cultores animarum, ut non fortius magis, quam perseverantiùs eorum perferrent vitia, infirmitatem sustinerent, frugemque sementis factæ, laborumque (quamvis seræ) fructum velut boni Christi Agricola expectarent, haud ignari, eos, qui seminant in lacrymis, in exultatione messuros. Quòd si ab initio tales non reperirent, quales expeterent, ita cum illis se gererent, ut cum improbis Filiis boni Parentes, Deique benignitate freri, qui hominum mentes suo demum tempore ad bonam perducit frugem, non diffiderent, eos aliquando tales fore, quales optarent. Quare nunquam desinerent, eos omni studio colere, præsertim cum DEUS omnium parens communis, quamvis laxus à nobis, benignè tamen omnibus facere non desistat.

LXIV. Secundò illi ostendat, quòd, etsi fructus alius non sequeretur, sat magnus tamen jure merito censeri debeat, satis fecisse officio suo, & voluntatem DEI implevisse, uti idem S. Chrysostomus sapienter notavit, dum l. c. dixit: *Utinam oratio nostra aliquid proficiat! Quòd si post longam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem desistemus illis, quod rectum est, consulere, quandaquidem & aquarum vena, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen: & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt: & omnes, etsi nemo bibat, nihilo secius fluunt: sic oportet & illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen prestare, quidquid in ipso situm est. Siquidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis admi-*

administrationem suscepimus, à benigno præscripta
 DEO. Sic S. Ignatius, teste Maffeo l. 2. c. 11. quem omnia expertus, tamen è peccatorum ceteris extrahere non poterat, non ideo contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum & operam perdidisset, sed conscientie & officii sui fructu contentus, acquiescebat in alto Providentie divinæ consilio. Hinc etiam hortabatur suos, ut in agendo cum proximis Tutelares Angelos imitarentur, qui, quod à DEO commissos acceperunt, monent quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum perducunt, sed si voluntatis libertate abutuntur illi, & inobedientes & obstinati sunt, propterea tamen nullatenus anguntur mœnore, nullâ afficiuntur molestiâ.

LXV. Terribili efficaciter ostendat, quod, licet omni omnino fructu in Proximo destituerentur ejus labores, neutiquam tamen præmio suo competentem sit cariturus, id quod memorabili sententiâ S. Bernardus l. 4. de confid. c. 2. declaravit: *Noli dissidere, inquit, curam exigeris, non curationem. Denique audisti; curam illius habe; & non: cura, vel sanum illum. Verum dixit quidam: Non est in Medico semper, relevetur ut ager. At melius tibi propono de tui Paulus loquitur: plus omnibus laboravi, non, aut plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi. Verbum insolens religiosissime devitans. Alias autem noverat homo, quem docuit DEUS, quia unusquisque secundum laborem accipiet, non secundum provectum. Ita, queso, & tu fac, quod tuum est; nam DEUS, quod suum est, faciet: satis absque tua anxietate & solitudine curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explevisti partes: sanè incrementum, ab*

scripserit, dabit DEVS. Vbi fortè noluerit, tibi de-
scribit nihil, dicente Scriptura Sap. 10. Reddet DEVS
mercedem laborum Sanctorum suorum. Securus la-
bor, quem nullus valet evacuare defectus.

LXVI. Denique non parùm etiam iuuerit, si,
quod olim B. Virgo S. Birgittæ l. 4. revel. c. 21. insi-
nuavit, ipsi quoque Anastasio proponat: *Amici Dei,*
inquit B. Virgo, *non habent attadiari in servitio*
DEI, sed laborare, ut homo malus fiat melior, &
homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicumque
voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeun-
tium, quòd IESVS Christus esset verus Filius DEI,
& faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum
conversionem, licet nulli, vel pauci converterentur,
nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes
converterentur, sicut per exemplum dico tibi: Si dua
mercenarii ex praecepto Domini foderent montem du-
rissimum, & alius inveniret aurum electum, alius ve-
ro nihil. Isti propter voluntatem & laborem (æqua-
lem, ut supponitur) digni essent equali mercede. Me-
rito ergo, Anastasius exemplum illius sequitur, qui,
teste Seneca epist. 7. quæsitus, quò tanta diligentia
artis spectaret ad paucissimos perventura respondit:
Satis sunt pauci, satis unus, satis nullus.

CAPUT IV.

DE CONJUGUM TENTATIONIBUS.

LXVII. Quòd etiam isti non levibus tentationibus
sint subiecti, jam pridem S. Paulus
1. Cor. 7. indicavit dicens. Si acceperis uxorem, non
peccasti. Et si nupsit Virgo, non peccavit; tribulatio-
nem

nem tamen carnis habebunt huiusmodi. Quod confitens S. Hieronymus l. i. contra Jovin. si nubentibus, inquit, etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbatur habere delicias, quid ergo erit reliquum, propter quod nubunt, cum & in spiritu, & in anima, & in carne tribulatio sit. Nimirum ut non malè quidam dicitur, à cantu Nuptiæ incipiunt, in luctum desinunt. Interdum paupertas conjuges affligit, quandoque Zelotypia vexat, aut curæ premunt, aut rixæ incedunt, aut onus matrimonii obruit; ut meritò quoddam conjugium Navigio comparent, quod undique à procellis solitudinum & curarum, à ventis tentationum, & à tempestatibus tribulationum impetitur & jactatur. Justè proin & horum conjugum tentationes potiores breviter proponuntur, & quomodo iisdem occurrendum sit, modo inchoato ostenditur.

§. I.

Tentatio 1. Circa discordiam conjugum.

Abraham & Sara conjuges insolito quidem ab initio amore matrimonii se mutuò prosequébantur, sed uti juxta commune proverbium ex vino optimo optimum acetum nascitur, ita & amor iste intensissimus paulò post in gravissimum odium & discordiam conversus est, eò quod quisque alterius vitia & defectus clariùs cognoverit, nec tamen eà, quæ oportebat, charitate & patientiâ supportare sciverit, sicque factum sit, ut, sicut communiter dici solet, maritus hydra, uxor ollas confregerit. Quæritur, quomodo ab hac tentatione & discordia liberandi sint?

Respon-

Responsio.

LXIX. Inprimis illis ostendat, quanti concordiam conjugum DEUS & Christus faciant, & optent. De DEO quidem testatur Siracides cap. 25. dicens: *Intribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram DEO & hominibus. Concordia Fratrum, amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* De Christo verò testimonium fert, Abbas Rupertus 5. de oper. spir. ubi notat, quòd, licet Christus Matth. 10. dixerit: *Veni separare hominem adversus Patrem suum, & Filiam adversus matrem suam, & sororem adversus socrum;* nunquam tamen dixerit, se etiam virum adversus uxorem, aut vicissim separatum, ut nullum conjugibus daret causam discordiæ, sed ut invicem pacifici manerent, mutuo se diligerent, & defectus patienter sufferrent. Hinc & S. Paulus Eph. 5. Christum pro exemplari conjugalis dilectionis conjugibus proposuit dicens: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam;* ut scilicet, sicut Christus nunquam Ecclesiam odio habuit, licet in ea quamplurimi mali Filii, Filia quæ existant; ita nec conjuges per mutuos defectus à concordia dimoveri se permittant.

LXX. Secundò illis referat, quòd olim, teste Tacito, apud Germanos consuetudo fuerit, ut novis nuptis par boum offerretur, quo ostendebatur, conjuges velut boves uni iugo alligatos esse, & onera matrimonii unanimi sensu portare debere. Certè sicut boves, si concordēs & quieti sint, levius sibi onus & laborem efficiunt; secus verò si dissentiant; ita & conjuges, si per concordiae vinculum alligati unani-

S

mes

mes & quieti procedant, facilius onera matrimonii portabunt; non autem si mutuo sibi repugnent. Hinc Eccl. 4. dicitur: *Sicut bonum jugum, quod movetur, sic mulier nequam.* E contrario verò, teste Plutarcho, ut vincula ex commissura vires accipiant, sicut consensu viri & mulieris familiæ status.

LXXI. Tertiò illis in memoriam revocet commune proverbium, quo dicitur: *Concordiâ res parve crescunt, discordiâ maxime dilabuntur.* Id quod Solon Rex Scytharum appposito facto confirmavit, dum octoginta suis Filiis in supremo morbo ad se vocatis, fasciculum ex octoginta sagittis colligatis constantem obtulit, & quemquam separatim frangere iussit: cum verò id nequirent, solvi fasciculum, & cuivis ex Filiis unam tantum sagittam offerri eamque à quolibet frangi præcepit, quod cum facile effecissent; salutariam hanc doctrinam subjunxit, sicut Sagittæ hæc, quamdiu per vinculum colligatæ manebant, nequaquam à vobis frangi poterant; citò verò confractæ sunt, postquam dissolutio est facta; ita & vos, si per concordie vinculum conjuncti firmiter manebitis, invincibiles eritis: secus verò, si per discordiam soluti vinculo, privatum suum commodum quisque fuerit sectatus. Hanc ergo doctrinam & sibi applicent conjuges, nec dubitent, hoc medio se rem domesticam insigniter aucturos; maximè cum ipse etiam Christus Matth. 18. dixerit; *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illi à Patre meo, qui in cælis est:* atque adeò meritò sperare possint, eorum preces etiam efficaciores futuræ, ad benedictionem rei familiari impetrandam.

LXXII. Quartò illis saluberrimam doctrinam S. Basilii in Exam. proponat exemplo Viperae, & Murenae marinae eos ad concordiam adhortantis. Sic enim ait: *Vipera genus est serpentium omnium exitiosissimum, murena marinae nuptias expectat, & sibilo suum significat praesentiam, eamque è gurgite vasto in-veniat ad nuptiales complexus. illa autem obtemperat, & coit cum venenato. Quid hac mearatio vult? quid portendit? sive asper sit cuiuspiam conjux, sive ferus moribus, perferat illum mulier necesse est, nec ullam prorsus ob causam, societatem, vinculumque dissolvere patiatur. Feritne? verberatne, estque percussa? at vir tamen est tuus. Temulentusne? at tibi est natura conjunctus. Durusne, morosus, implacidus? at membrum jam tuum est. Audiat & ipse vir accommodatam, seque decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venenationem evomit: tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob unionis reverentiam non deponis?*

LXXIII. Quintò specialiter maritum meminisse iubeat, quòd ipse sit caput uxoris; non deceat autem caput alicui membro molestum esse. Hinc S. Chrysostomus hom. 26. in 1. ad Cor. ait; *Considera, debile quidem esse mulieris genus, tu autem vir, propterea princeps factus es, & caput ejus, ut subdita feras imbecillitatem; illustra erga tuum principatum, quod facies, si subdita non insultaveris. Et paulò post: Quonam pacto, ait, non ultima Dementia est, eam afficere contumeliâ, propter quam parentes Deus dimittendos jubet? cur ergo maritus iracundiam contra uxorem non dimittat, quæ propter illum dimisit Patrem, & Matrem, ut ipsi adhæreret? Proderit etiam*

exemplum Socratis ob oculos ei ponere, qui, cum ab Alcibiade quæreretur, quomodo uxorem tam iracundam perferre posset? prudenter respondit: Qui ovium vesci vult, glocitantium gallinarum strepitu offendere non debet. Equidem sic domi patientiam disco, ut foris melius exercere queam. Rectè proin Varro dixit: Vitium uxoris aut tollendum, aut tolerandum est. Et clariùs S. Chrysostomus lib. 1. Si aliquis molesti, inquit, contigerit, si quid uxor peccaverit, consolare, & noli augere mœrorem; licet enim omnia projicias, nihil molestius contingit, quàm non habere benevolam domi uxorem. Quod si onera invicem ferenda sunt, multò magis uxoris: si pauper sit, noli ei probrare: si stulta, noli ei insultare, sed esto modestior, tua enim uxor est: si ebria, si iracunda, dolendum est, non irascendum, & DEO supplicandum, & ipsa admonenda & adjuvanda consilio, & omni cura nitendum, ut his affectibus liberetur.

LXXIV. Sextò denique & ipsi uxori specialiter in memoriam revocet monitum S. Pauli ad Eph. cap. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie. Ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subdita est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Quæ autem uxor tam impudens foret, & audax, ut Christo non obedire, cum eo rixari, aut omnino contumeliis illam afficere auderet? Non parùm etiam prodesset, exemplum S. Monicæ eidem ob oculos ponere, quæ, teste S. Augustino l. 9. conf. c. 9. mirantibus aliis uxoribus, quomodo ipsa cum marito infideli, & tam rigido & feroce adeò pacificè vivere posset, respondit: meæ sorores, vos fortè maritos ad iram impel-

impellit morositate ac contumaciâ vestrâ, ego marito sœviante taceo, & dissimulo, sicque iracundiam ejus frango; quin animum ejus sic inflexi, ut mecum Christum colere cœperit; ergo & vos agite cum maritis, si simili concordia & pace frui velitis: Verbo; hoc uxorum symbolum esto; *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Isaïæ c. 30.

§. II.

Tentatio II. circa corruptos mores liberorum & aliorum domesticorum.

LXXV **M**arina Matrona pia ac timens DEUM, dum quotidie advertit, liberos suos & Ancillas neque ad orandum, neque ad discendum & laborandum compelli posse, sed otio duntaxat, & scurrilibus jocis vacare, & præterea surdos ad admonitiones, duos & contumaces ad imperia existere; imò unam Ancillam omnino à Filio quopiam suo impregnatam fuisse, ad mortem propè affligitur, ideoque hanc suam tristitiam & afflictionem confessorio suo aperit. Quæritur, quomodo illam ab hac gravissima tentatione liberare possit?

Responsio.

LXXVI. Inprimis hortetur, ut non tam graviter apprehendat omnes errores liberorum & subditorum, sed potius consideret eos ut cæcos, ut ægros, quibus non tantum non irasci, sed potius compati, variæque media ad curationem applicare solemus; ita monet S. Chrysostomus lib. 2. dial. dicens: *Non uniformiter secundum mensuram delictorum increpationes*

nes quoque oportet inferri, sed diligenter aspicere eorum, qui deliquerunt, vires atque propositum, ne forte volens rupta sarcire maiorem operetur disruptionem, & cupiens eligere collapsa casum inferat graviolem.

LXXVII. Secundò suadeat, ut non quosvis errores mox puniat, sed minores dissimulet, exempli piscatorum, qui piscis minoris iacturam contemnunt, ut maiorem lucentur. Revocet illis in memoriam Dei misericordiam, quam erga illam ostendit, & dicat illi: Ecce, an non tu quoque es Filia DEI? & tamen quàm parùm impleas mandata DEI? si, quæ tu peccas, mox puniret te DEUS, quoties in purgatorium, aut infernum præcipitata fuisses, ergo tu, quæ ratione polles, à teipsa impetrare non potes, ut talis efficiaris, qualis esse deberes, quantum minùs à liberis tuis nullo aut exiguo rationis usu præbeis hoc exigere poteris?

LXXVIII. Tertiò hortetur illam, ut, quando ob errorem aliquem castigandi videntur, id cum maius fuetudine potiùs, quàm severitate faciat, nam, ut S. Prosper. l. 1. de vit. contempt. ait, *leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem minima increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem.* Et ut S. Gregorius in Past. cap. 35. ait, *Plerumque, quos cruciamento non corrigunt, ab omni- quibus adibus lenia condimenta comescunt.* Jubeat ergo illam in correctione cælum imitari, quod primò faciem serenam exporrigit: tum nubilosum efficitur, subinde tonat: mox fulgurat, & tandem fulminat, sic itaque & ipsa primò faciem hilarem & serenam exhibens blandis verbis ad emendationem allicit, ubi hoc medium nihil profecerit, obnubilet faciem.

& displicentiam circa errorem ostendat; si neque hoc sufficiat, tonare incipiat, verbisque increpet delinquentes; quando etiam hoc non proficit, fulgura minarum emittat, & terreat; & tandem si neque hoc medium efficax fuisse senserit, fulmine virgarum vel alterius instrumenti percutiat.

LXXIX. Quartò ostendat illi errorem & stultitiam, quam committit, quando errantes liberos aut subditos inominiosis verbis compellat, aut dirissima quæque mala imprecatur; nam 1. contra charitatis ordinem facit, quia, dum emendare vult parvum errorem, in majorem præcipitat, quatenus videlicet exemplo suo similis est illi homini, qui, ut unam fenestram rotulam reficeret, viginti alias frangeret; aut parenti, qui, ut parvum Filii vulnus curaret, lethale ipsi infligeret. 2. Etiam stultè facit, perinde scilicet ut parens ille, qui, ut Filium curaret, medio uteretur, ob quod omnibus bonis spoliari, & morti adjudicari ipse mereretur; aut qui seipsum occideret præ indignatione, quòd Filium seipsum leviter vulnerasse videret. Meminerit proinde sententiæ à Christo Matth. 16. prolata: *Quid prodest homini, si universum mundum laetetur, anima verò sua detrimentum patiatur?*

LXXX. Quintò admoneat illam, ut, si post frequentem correptionem videat, se nihil proficere, rem totam DEO commendat, & hanc Filiorum aut subditorum inobedientiam, & pertinaciam tanquam paternam castigationem vel probationem à DEO cum patientia & æquanimirate recipiat, & portet, non cessans interea salutem & animas illorum DEO commendare. Quem in finem proderit exemplum unum, alterumve eorum parentum, qui liberos aut subditos

discolos habuerunt, & cum magna patientia sup-
târunt, ob oculos ponere, qualia esse possunt. Ada-
mi & Evæ in Caino, Noë in Cham, Isaaci in Elau, Da-
vidis in Absalone, & plura similia.

§. III.

*Tentatio III. Circa sollicitudinem alendo-
rum domesticorum.*

LXXXI. **D**orothea Uxor nobilis cum Doro-
theo Marito suo, per incendium om-
nibus suis bonis, ipsaque domo spoliata, & ad extre-
mam inopiam redacta, gravissimè affligitur, eò quòd
media amplius non habeant ad se, suosque domesticos
alendos; nec videant, quomodo ea acquirere amplius
possint, cum laborare, utpote labori non assueti non va-
leant, mendicare autem erubescant. Quæritur quomo-
do contra ejusmodi tentationem roborandi sint
conjuges?

Responsio.

LXXXII. Primò hortetur illos, ut patienter ferant
hanc jacturam bonorum suorum temporalium cum S.
Job, dicantque cum illo: *Nudus egressus sum de matre
Matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit,
Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum
est. Sit nomen Domini benedictum.* Sic enim me-
rè sperare poterunt, quòd, sicut DEUS Jobo pro-
pter tam insignem patientiam omnia restituit duplici-
ta & ipsis (si utile judicaverit) omnia deperdita re-
stituere possit: Certè necessaria non negabit; neque
enim ad solos Apostolos & Religiosos, sed ad omnes,
qui cum patientia & charitate dimiserint bona sua, per-
tinet;

inet, illa Christi promissio: *Omnis, qui reliquerit domum aut agrum &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam eternam possidebit.* Matt. 19. Audiant ergo S. Augustinum in Pl. 34. monentem: *Illum quare, qui deesse non potest. Subtrahuntur, quæ dedit: nunquid subtrahitur, qui dedit?*

LXXXIII. Secundò celeberrimum Thomæ Mori Cancellarii Parisiensis exemplum ob oculos eisdem ponat, qui, ut in vita ejus refertur, sic conjugem suam per epistolam solatus est: *Intelligo, horrea nostra, & vicinorum aliquot cum omni frumento periisse incendio.* Dolenda quidem (salvâ DEI voluntate) jactura tam copiosi frumenti; quia tamen DEO ita visum est, debemus omnino non solum patienter, sed & libenter hanc DEI manum in nos extensam ferre. Quidquid amisimus, Dominus dedit; Sed quia id iterum nobis ademit, Domini voluntas fiat: nunquam super hac re murmuremus, sed æqui, bonique consulamus, & DEO magnas gratias agamus tam in adversis, quàm in prosperis; atque si rectè calculum ponamus, majus DEI beneficium est hoc damnum, quàm ingens lucrum. Quid enim salutis nostræ faciat, DEO magis, quàm nobis perspectum est. Rogo igitur, bono sis animo, & omnem tecum familiam duc ad templum, Deoque gratias age tam pro his, quæ nobis donavit, quàm quæ nunc abstulit, & quæ etiamnum reliquit. Facile DEO est, si sic visum fuerit, augere nondum ablata.

LXXXIV. Tertiò Hortetur illos, ut oculos convertant ad veras divitias, scilicet ad virtutes & bona opera; item ad cœlestia gaudia, quæ ipsis invitis auctari non possunt, uti nec ipse DEUS; sic certè leviter

terferent jacturam temporalium bonorum exemplo
primorum Christianorum, ad quos S. Paulus Heb.
c. 10. scripsit. *Rapinam bonorum vestrorum cum gra-
dio suscepistis, cognoscetes, Vos habere meliorem
manentem substantiam.* Quis non gauderet, agri
suum grandine destrui, si grando aurea esset? An-
talis grando est tribulatio, utpote per quam regna
cælorum emimus. Iubeat ergo meminisse verborum
Davidis Ps. 125. *Euntes ibant, & flebant mittentes
mina sua* (offerentes pecunias, quæ ipsis auferetur
tur) *venientes autem venient portantes manipulos
suos.*

LXXXV. Quartò hortetur illos, ut bene con-
derent, quàm liberaliter DEUS aves in aëre, pisces
aqua, feras in silvis nutriet; quantò magis ergo ho-
minibus pretioso sanguine suo redemptis necessarium
victum non sit negaturus, maximè cum domesticum
non tam ipsorum Parentum, quàm ipsius DEI
Filij, utpote qui non corpus duntaxat, sed etiam vi-
mam dedit. Meritò ergo salubre sibi D. Petri l. c.
consilium sequantur, & omnem sollicitudinem pro-
icientes in DEUM, quoniam ipsi cura est
illis.

LXXXVI. Quintò hortetur illos, ut Filios in
more Domini educant, & ab infantia timere DEUM
faciant, hanc enim solam optimam esse hereditatem
quam nemo illis auferre possit, & cum qua nullam ne-
cessariorum ad vitam mediorum defectum sint passu-
ri; eâ enim si Liberos instruxerint, audacter cum
S. Tobia dicturos: *Pauperem quidem vitam gerimus
sed multa bona habebimus, si timuerimus DEUM,
recesserimus ab omni malo, & fecerimus bene.* Tob.

enim DEUS ipse per Psalmistam Ps. 33. dixit, *non est*
inopia timentibus eum.

LXXXVII. Sextò denique horretur, ut, quàm pos-
 sunt maximè, in ordinatam tristitiam, pusillanimitatem,
 & diffidentiam in DEUM fugiant, ut quæ non modò
 ad finem optatum nihil conducunt, sed potiùs gravi-
 ter, nocent irritando DEVM, ut auxilia sperata ne-
 get, quia in proprijs potiùs viribus, quàm DEO spem
 suam posuerunt. Adhibeant ergo media, quæ pos-
 sunt, & de reliquo omnem exitum DEO commit-
 tant, contenti quocunque subsidio sibi submisso, &
 memores dicti S. Pauli: *Habentes alimenta, & quibus*
utimur, his contenti simus.

§. IV.

Tentatio IV. Circa mortem Conjugum vel
Liberorum.

LXXXVIII. **S** Abina honesta Matrona valde dilige-
 bat Maritum, & minimum Filiolum
 suum, & ideo, quia mors utrumque eodem anno su-
 stulit, inconsolabiter affligitur, & amarissimis, conti-
 nuisq; lacrymis utrumque deflet. Quare vocatur Pastor
 illius, ut, si non omnino tollere possit mærorem talem,
 saltem moderetur eundem appositis doctrinis, & so-
 lacijs. Quæritur, quomodo id præstare debeat?

Responsio.

LXXXIX. Inprimis illi ostendat, quàm exiguam
 tristitiæ causam habeat, sive DEVM, sive Defunctum,
 sive seipsam attendat. Si enim primò ad DEVM
 respiciat, ille repetijt, quod suum erat: Si ergo, dum
 Depositarius repetit depositum suum, id volentes &
 læ

læti reddimus, cur, si DEVS repetiêrit Maritum & Filiolum, quos ad tempus veluti depositum concessit, doleat ipsa, & queratur? Præterea, cum bonam Christianam profiteatur, utique nihil aliud velle debet, quam quod Deus vult; cum ergo Deus voluerit autem utrumque defunctum, quidni & ipsa velit? Cur ergo non exclamet cum S. Hieronymo ad Paulam de obitu Blefilla: *Bonus est DEVS, & omnia, quæ bonum faciunt, bona sint, necesse est. Mariti orbis irrogatum plango, quod accidit; sed quia sic placet Domino, animo sustinebo. Unicus raptus est Filius? quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, quid dedit? Si secundò defuncti considerentur, vel bene, vel malè illi obiêrunt; si bene, lætandum potius est, quam tristandum; nam, ut S. Chrysostomus hom. 23. Matth. ait, *Illum abiisse in prætoria florentiæ cum principibus ingentes cur adversum te fluctus concitas tempestates hic autem fluctus præsentis vitæ pernavigavit. Si ad imperandum, regnandumque hoc caduco, mortali regno Filius tuus abiisset, nolles eum inde redire, ipsum videres. Nunc verò cum ad majora, meliora regna processerit, parvi temporis absentiam ferre poteris? Noli ergo plorare, reddidisti enim depositum quod tibi creditum erat. Præterea si tu cum amantissimo Amico in carcere constituta fores, & illi a Rege gratia fieret, ut è carcere in aulam transferretur, continuisque deliciis frui posset, an doleres, eundemque in carcere pro solatio tuo retinere velles? minime profectò, si verè eum diligeres amicitiae amore; cum ergo nunc DEUS & Maritum & Filiolum è carcere corporis ad cœlestem Aulam transtulerit ad beatissimam vitam ducendam, cur tu ipsos impedire velles?**

verò malè obièrunt, iterum non est tristandum, concessa peiores evasisent, si diutius vixissent, atque bonam sedè maiorem pœnam incurrisent, quod DEVS videns eosdem rapere voluit; unde Tertullianus cap. 9. de pat. ait: *Christum ledimus, cum evocatos* Cur ergo *quosque ab illo quasi miserandos non aequanimiter accipimus.* Certè DEVS & Beati Patroni & custodes de- boni sanctorum non minùs amant illos, quàm ipsa Sabina; & tamen etiam in tali miseria constitutum non lugent, sed potiùs divinæ Justitiæ & voluntati acquiescunt; nec ipsa etiam, si eò venerit, aliter faciet; cur ergo non jam quoque facere possit, quod tunc factura est? Si tertiò seipsam attendat Sabina, necdum habet cau- sam dolendi; nam loco Mariti & Filii ipsum Deum habet, qui illa Elcanæ ad Annam uxorem sterilem & propterea flentem dicta verba, ipsi quoque repetit: *Anna (aut Sabina) cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem Filii?* Nimirum vana auxilia & solatia illi subtraxit DEUS, ut in ipso tan- quam fortiora, & sinceriora quærat, & inveniat. Iubeat item eam meminisse, quantarum curarum cau- sa fuerint defuncti; quantum impedimentum in divi- no servitio attulerint; hoc cerè Melania Junior agno- vit, quæ, teste S. Hieronymo, calente adhuc mariti corpusculo, & nondum humato, duos simul perdide- rat Filios, & tamen nec lacrymam fudit, sed stetit immobilis, & ad Christi pedes devoluta, quasi ipsum teneret, arrisit, & dixit: *Expeditiùs nunc tibi servi- tura sum, Domine, qui tanto me opere liberasti.* XC. Secundò illi ostendat, quòd, etiamsi inte- gros rivos lacrymarum profundat, nihil tamen hæ con- ducant

ducant ad maritum & Filium reducendum; unde potius prudentissimum Davidis factum æmulari debemus, qui, ut 2. Reg. 12. legitur, cum Famuli mirarentur quòd, ægrotante Filio se tristem ostendisset, & variis modis afflixisset: eodem verò mortuo ad pristinam hilaritatem rediisset, cibumque sumpsisset, hoc sponsum dedit: *Propter Infan- tem, dum adhuc viveret, jejunavi, & flevi, dicebam enim: quis si fortè eum mihi donet Dominus, & vivat Infans. Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? quid potero eum revocare amplius? Imò non tantum ipsi non prosunt lacrymæ, sed utrique defuncto in Purgatorio sint, plurimum nocent, uti DEUS quondam in simili casu Matri cuiusdam Filium mortuum vehementissimè desolanti significavit, varios ipsi Juvenes ad cælum citato gradu properantes, Filium verò illius longo, nigroque pallio, de sequentem ostendit; quem cum Mater adhuc esset ad gressum accelerandum, respondit ille: non possum, quia lacrymæ tuæ pallium meum gravatum me impediunt; dum enim lacrymis pro solatio tuum indulges, nulla mihi auxilia interea ad evitandas Purgatorii pœnas subministras.*

XCI. Tertiò illi varia exempla matronarum oculos ponat, generosè tales casus supportantiū, quales esse possunt Matris Machabæorum, S. Felicitatis, S. Symphorosæ, quæ plures Filios ante se dirigitos cruciatos, & occisos, siccis oculis, & læto animo spectarunt. Specialiter tamen S. Elisabetham Ludovici Turingiæ Ducis uxorem illi proponat, quæ audita morte conjugis, animo ad DEUM converso, Nôsti, Domine, quàm ego maritum meum

unde potius, quod & amaret te, & datus mihi esset à te:
 unde potius à me modò hinc evocatum repetiisti; nec in-
 irarere tua reddo, sed nec, si uno capillo capitis mei ad vitam
 et, & videri potest, id vellem, si tu nolles. Hoc unum
 pristinum ego, ut anima illius æterna in pace requiescat, & ego
 et, hoc in obsequio tuo magis, magisque tuâ gratiâ convale-
 scam.

XCII. Quartò hortetur, ut spem & solatium in
 DEO unicè constituat; sic enim facilè jacturam non
 tantum horum duorum, sed omnium hominum cari-
 tatem, uti bene S. Augustinus lib. 4. conf. cap. 2.
 indicavit dicens: *Beatus, qui amat te, & amicum in*
& inimicum propter te; Solus enim nullum cha-
ritatem amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amitti-
untur.

§. V.

Tentatio V. Circa Zelotypiam.

XCIII. **G**eroldus Zelotypus valde maritus, atque
 provectæ ætatis, cum Juvenem satis
 uxorem duxisset, perpetuis agitur curis & timoribus,
 ne alii quoque eam depereant? quapropter arctissi-
 me eam domi custodit, & observat, & si vel verbulo
 aliam ipsam alloquentem videat, mox suspicatur, ipsam
 alios magis, quàm ipsum diligere, gravissimèque
 cum illa expostulat. Quæritur, quomodo tam gravis
 Zelotypiæ tentatio eripienda sit?

Responsio.

XCIV. Inprimis ei ostendat, quàm graviter con-
 tra legem charitatis delinquat, quæ jubet, ut proxi-
 mum sicut nos ipsos diligamus, atque adeò illi non fa-
 ciamus,

ciamus, quod nobis fieri pariter nollemus; quæ læta
erga uxorem tantò accuratiùs observanda est, quantò
arctius inter ipsam & maritum vinculum intercedit,
dum, teste S. Scriptura, duo in carne una existunt.
Cum ergo utique ipse vel maximum dolorem & indignationem conciperet, si uxorem Zelotypiæ vitio laborantem, perpetuas thori violati suspiciones fovendo adverteret; quidni similem dolorem ab uxore merito concipi posse censeat, atque adeò & ipsam ab omni ejusmodi dolore, deponendo omnem Zelotypiam, liberet?

XCV. Secundò illi ostendat, pessimos fructus Zelotypiæ, quos bene Salomon, breviterque Cant. 1. descripsisse videtur, dum eam inferno comparavit dicens: *Dura, sicut infernus, amulatio*: quasi dicat, sicut in inferno nulla est quies à cruciatu, ita Zelotypia perpetuis cruciantur timoribus & suspicionibus à thoro violato. Quis autem, nisi amens, ultro se in infernum præcipitet; aut ex eodem, si possit, non liberet?

CXVI. Tertio illi prudentem S. Hieronymi admonitionem lib. 1. contra Jovin. proponat, sic loquens: *Quid tibi profuerit zelus, & nimia diligentia in servanda uxore tua? si enim inhonesta fuerit, vix illum servare poteris (elabatur enim è manibus ut lubricus anguis) si casta & honesta, custodià opus non habet.* Pro cuius confirmatione Matthias Faber non male oculos habendam ait, fabulam de Philomela ab Antiope captâ, quæ tres ei leges, per quas beatam videri ducere posset, daturam promisit, si liberam dimitteret; quâ promissione factâ, has ei leges observandas dedit: Rem, quæ apprehendi nequit, non quæ

quæ læ apprehendere : rem, quæ non est verosimilis, non
 , quantò credito : rem perditam, quæ recuperari nequit,
 tercedit, non plangito : quarum priores duas saltem Zelotypus
 existunt, maritus meritò sibi applicare potest.

XCVII. Quartò illi referat, quid Alphonsus Ara-
 gonum Rex sapienter pronuntiârit, nempe tum de
 num matrimonia tranquilla fore, si vir surdus, & uxor
 cæca fuerit, id est, si maritus non statim omnia, quæ
 ab omni uxore referuntur, credat; & uxor ad ea, quæ à
 otypiam, marito geruntur, non nimis curiosè oculos reflectat,
 sed uterque conjux de altero bene sentiat, & loqua-
 os fructu tur: omnia dicta & facta alterius bene accipiat, &
 e Cant. i. interpretetur, & mutuos defectus cum magna charitate
 paravit de & patientia supportet; sic enim amoris conjugalis &
 asi dicat concordie vinculum arctissimè colligatum conserva-
 a Zelotypi tur, sicut è contrario per nullam rem magis, quàm
 onibus de per Zelotypiam dissolvitur.

CAPUT V.

DE AULICORUM TENTATIONIBUS.

XCVIII. **N**Egari quidem non potest, etiam hos
 variis tentationibus esse subjectos, sed
 quæ majori ex parte iisdem cum aliis personis sunt
 communes; duæ proinde duntaxat referentur in hoc
 capite, quæ ipsos magis attingunt, nempe quæ circa
 favorem Principum aut etiam officium in aula amissum
 occurrunt.



T

§. I.

§. I.

Tentatio I. Circa favorem Principis
amissum.

XCIX. **T**heodosius primarius Aulicus, cum tempore sat longo summum erga se Principis favorem & benevolentiam fuisset expertus, subito malevolorum subdolas susurrations non leve ejulatum Principis odium incurrit, ideoque tantò vehementius de amissione tanti favoris tristatur, quantò jucundius priùs illius fruitione lætabatur. Queritur, quomodo hæc illi tristitia & tentatio eximenda sit?

Responsio.

C. Inprimis illi ostendat, quàm vanus sit ejulandi favor, ut qui si multum prodesse possit, ad bona temporalia obtinenda, vel augenda conducatur; quæ tamen ipsa in plurima mala, ipsùmque felicitatis amittendæ periculum præcipitant. Unde meritò Aulicus quidam, ad extrema deductus, cum à Principe ipsam visitante hanc unicam gratiam petiisset, ut vel per mediam horam à suis doloribus & angustiis ipsum liberaret, Princeps verò id in sua potestate non esse asserebat, exclamasse dicitur: O me miserum & infelicem, qui toto propè vitæ tempore tali Domino serviavi, qui nec per mediam horam à doloribus me liberare potest; & non potiùs illi Domino placere, & servitium studuerim, qui me æternum aut miserrimum, non felicissimum efficere potest! O quàm bene monuit Servator: *Nolite timere eos, (aut illis placere vellet, qui occidunt corpus (aut temporalia bona conferunt animam autem non possunt occidere sed potiùs timere eum*

qui corpus & animam perdere potest in gehennam.
Matth. 10.

CI. Secundò illi ostendat, quàm inconstans sit favor Principum, ita ut non immeritò quidam ipsum hederæ Jonæ comparare soleant, quæ subitò exorta ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra ejus, & protegeret eum, unde & lætatus est Jonas super hederam lætitiâ magnâ; sed paravit DEUS vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit. Applicet ergo & sibi Theodosius illa à Deo ad Jonam dicta verba: *Putasne, bene tu irasceris super hederam?* idèoque favorem instabilem, qui sub una nocte crescit, & perit, libenter contemnens, illum ambiat, & tectetur, quo nemo, nisi volentem privare potest.

CII. Terridò illi ostendat, quàm periculosus etiam sit iste favor; uti bene duo illi Aulici Theodosii Cæsaris agnoverunt, qui, cum eundem in monasterium comitati, in horto deatubulassent, & in Eremitorium ingressi, vitam S. Antonii ex libro ibi jacente legere cepissent, subitò immutati vanitatem vitæ aulicæ agnoverunt, & unus eorum ad socium dixit: *Amice, dic mihi, quid querimus? cujus rei gratiâ militamus? Majorne esse potest spes nostra in Palatio, quàm in Amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenūque periculis? & per quæ pericula pervenitur ad grandius periculum? Quamdiu, & quando istud erit? Amicus autem DEI, si voluero, ecce nunc fio.* Quidni ergo dicat nunc Theodosius cum Davide Pl. 38. *Et nunc, quæ est expectatio mea? nonne Dominus?*

CIII. Quartò illi ostendat, quàm noxius etiam sit favor Principum, utpote per quem aurea libertas

ipſi eripitur, & ad alterius nutum vivere cogitur, unde meritò Diogenes dicebat, Ariſtippum Philoſophum teneri aureis compedibus conſtrictum, ne poſſet exire: quòd ſplendidiore Principum vitâ captus Philoſophicam vitam mentiretur. Quàm ſtultum aureus eſt, compedes ſuas, quamquam aureas amare, & rectè Seneca. Nec malè Poëta quidam de Aulico ſcribit:

Compedibus ſtrictè, & manicis adſtringitur
excors,

Plus quàm ſervili conditione miſer.

§. II.

Tentatio II. Circa dimiſſionem ab aula.

CIV. **A**lphonſus Aulicus, poſtquam diu fideliter & ſedulam operam Principi ſuo præſtaſſet, tandem Inimicorum ſuorum malignis apud eundem Principem machinationibus ſubverſus, ab aula non ſine exigua famæ ſuæ diminutione, totiusque ſuæ Familiæ & cognationis dedecore, dolore, & damno dimittitur. Quæ omnia non ſine intimo doloris ſenſu, ſuo Patri ſpiritali aperit. Quæritur quomodo contra hanc graviffimam tentationem manendiſ ſit?

Reſponſio.

CV. Inprimis illi oſtendat, quàm grande beneficium illi DEUS contulerit, dum è tot, tantisque periculis ipſum eripuit, quæ aulam undique circumſeptam tenens, ita ut meritò aliqui Aulicis illa Jer. ſua verba applicent: *Fugite de medio Babylonis, ut ſalvet unusquisque animam ſuam.* Ubi per medium intel-

gitur communiter ab Authoribus aula, quia tunc in medio civitatis construebantur Palatia, ubi Reges morabantur. Per Babylonem verò intelligitur confusio, ut indicetur, aulas, nisi cautè & prudenter frequententur, ut plurimum confusionis, æmulationis, fictionis omnisque alterius malitiæ officinas esse; ob quam causam ingredientibus sanctis tribus Magis Herodianam aulam, stella, quæ ipsos comitabatur, disparuit, quam tamen mox iterum, ubi ex aula digressi sunt, cum magno gaudio viderunt. An non ergo meritò gaudeat Alphonsus, se è tantis periculis evasisse, dicatque cum S. Davide Pl. 83. *Elegi abjectus esse in domo DEI mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*, vel, ut S. Hieronymus vertit, *in tabernaculis impietatis*, conformiter dicto Lucani l. 8. de bell. civil. *Exeat ex aulâ, qui volet esse pius*.

CVI. Secundò illi ostendat, quantis non modò in periculis salutis animæ, sed etiam corporis & famæ liberatus sit per egressum ex aula; id quod Thomas Morus Anglicanæ aulæ Cancellarius, si ullus alius, expectus est, qui proin ad quendam suum Amicum sequens carmen scripsit:

*Sæpe mihi jactas faciles ad Principis auras
Liber, & arbitrio ludis ut ipse tuo.
Sic inter domitos sine noxâ sæpe leones
Luditur, at noxa non sine sæpe metu.
Infremit incertâ crebra indignatio causâ,
Et subito mors est, qui modò ludus erat.
Tuta tibi non est, ut sit secura, voluptas
Magna tibi est: mihi sit, dummodo certa minor.*

T 3

Certè

Certè hoc ipsum innumeri sunt experti; nam, nihil dicam de Parmenione Alexandri Regis iussu, cum Filio Philota miserabiliter occiso; de Arato Sicionio viro sapientissimo, & optimè de Rege Philippo Macedonico merito, ejus mandato, cum Filio, per venenum sublato; de Alcimenide Pannoniane totius Regni negotia cum summo Reipublice bono administrante, & tamen hâc unâ de causis quod negâsser, ibi esse locum venationis, ubi Re asserebat, capite truncato; de Eusenide gratiâ lumina apud Ptolemæum florente, sed, quia mulieres à Rege adamatam allocutus fuerat, suspensio; de Belisario Duce post Wandalos & Persas feliciter devictis dignitate, oculisque privato: quod clarius exemplum quàm Christi habere possumus, qui in aulis Herodis, Pilati, Annæ & Caiphæ famæ & vitæ jacturam passus est. An non ergo iterum Alphonsus gaudet potius, quàm doleat, se ex aula exiisse, dicatque cum Seneca,

Stet, quicumque volet, potens

Aulæ culmine lubrico,

Me dulcis saturet quies.

CVII. Tertiò illi ostendat, quàm inquieta primumque vita in Aula ducatur, id quod S. Gregorius lib. 6. Registr. Epist. 190. sequentibus verbis præclari ostendit: *Esse in obsequio Principis, quanta est mentis occupatio in appetitu terrena gratia, & quantum timor, ne hac eadem gratia perdatur, si adepti fuerint.* Perpende ergo, quæ pœna sit, aut prosperitatis desiderio fatigari, aut adversitatis timore pavescere: & quæ in procellas & fluctus cordis tendis, verborum meorum funibus te ad litus revoco; & si trahentem sequi volueris,

nam, quæ pericula evaseris, quæ gaudia inveneris, in ipso quietis tua litore positus agnosces. Quidni ergo quietem præoptet, & illam sibi S. Basilii hom. 52. adhortationem accommodet Alphonsus: *Ad vitam te vocamus, ô homo, quid fugis vocationem? ad bonorum participationem, quid negligis dominum? Regnum celorum apertum est: qui vocat, non mendax est: via facilis est, non tempore, non sumptu, non negotio opus est. Quid cunctaris? quid tergiversaris? quid jugum times? bonum est, leve est, cervicem non atterit, sed glorificat.*

CVIII. Quartò, ne ob putatitiam infamiam nimium tristeretur, Moysis ex aula Ægyptiaca fugientis exemplum illi ob oculos ponat, de quo sic scribit S. Scriptura Hebr. 11. *Moses grandis factus negavit, se esse Filium Filie Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo DEI, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, majores divitias aestimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspicebat enim in remunerationem.* Quæ verba Ribera propriè accipiens putat, Moylen partim ex fide & traditione Abrahamæ, aliorumque Patrum cognovisse, Christum pro genere humano passurum; partim Spiritu prophetico prævidisse, speciatim injurias & opprobria illi à Judæis inferenda, atque adeò, ut Christo similis fieret, maluisse calamitatibus premi & affligi cum Hebræis, quàm delicias aulicas, ac ipsius tandem regni successionem acceptare. Simili ergo modo se Alphonsus quoque soletur exemplo Christi, sibi que illius consolatoriam admonitionem Jo. 15. ad Apostolos factam applicet: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Mementote sermonis mei, quem ego dixi*

vobis. Non est servus major Domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur.

CAPUT VI.

DE VIDUARUM TENTATIONIBUS.

CIX. **A**Nna vidua valde honesta & devota, cum marito suo, quo cum per multos annos vixerat, per mortem repentinam fuisset viduata, & plures ab eo liberos relictos haberet, nec sufficienter videret media ad eosdem sustentandos, gravissime & ferè ad mortem usque affligitur, maxime quia à creditoribus etiam de debitis solvendis assidue urgetur, & ab inimicis mariti circa rationes ab eo reddendas variæ difficultates moventur, nec quemquam ipsa habet, qui illius Patrocinium suscipere velit. Quamvis igitur ergo, quomodo à pastore suo, cui hanc suam calamitatem non sine maximo doloris sensu aperuit, in tanta tentatione consolanda, & roboranda sit?

Responsio.

CX. Inprimis illi beneficium per viduitatem DEO collatum ostendat, illaque D. Fulgentii episcopi ad Galbam scribentis verba ei referat: *In eo, quod es conjugata facta es vidua, donum Dei auctum tibi magis existima, non ablatum; neque enim te deseruit, qui te sequendam viam melioris vite ostendit. Gradibus inquit voluit Dominus ad meliora conscendere, ut primitus conjugata cum uno viro fideliter viveres, quod postmodum sine difficultate absque viro vidua permaneres. Ad hoc igitur animum tuum divina gratia castitate conjugat nutrit, ut, quæ didiceras, illò uno vivente, ad*

rum non querere, disceres ab omni viro vidua contineri.

CXI. Secundò illi felicitatem suam ex eo etiam capite ostendat, quòd deinceps loco mariti DEUS curam illius, & liberorum sit suscepturus, id quod S. Chrysostomus in epist. ad vid. juniorem pulchrè sequentibus verbis demonstravit: *Quòd tot repente concurrentibus malis non te agritudo absorbuerit, non de naturalis mentis statu sis deturbata, non humani auxilii hoc est, sed Patris misericordiarum, & DEI totius consolationis.* Nam quamdiu vivebat vir tuus, ipse, ut homo tamen, tui curam gerebat; quia verò illum ad se vocavit Dominus, ipse illius loco nunc se substituit tibi; neque hoc meum est, sed Propheta: *Pupillum & viduam suscipiet: & rursus idem Propheta DEVM vocat Patrem Orphanorum, & Iudicem viduarum;* ut insinuat scilicet, DEVM omnes quidem homines iudicaturum, sed viduarum præcipuè, quæ ab omnibus derelictæ sunt, causas defensurum.

CXII. Tertio illi ostendat, quantas olim promissiones fecerit DEUS, quòd viduarum specialem curam habere velit; nam in primis Exod. c. 12. dixit: *Vidua & Pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio.* Deinde Eccl. 35. ait: *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentes eas? à maxilla enim ascendant usque ad cælum;* Unde merito S. Chrysostomus iniquos dehortatur à læsione viduarum dicens: *Itaque, inique, si viduam laeseris, viduarum quoque provisorum ad iracundiam provocabis. Quis ad impietatem adeò ferox, tam præceps fuerit, qui*

sic à DEO defensas viduas ladar? E contratio verò
S. Paulus 2. ad Tim. 4. easdem ad spem in Deo col-
locandam hortatur dicens: *Qua verè vidua est, &*
desolata, speret in Domino.

CXIII. Quartò illi ostendat, quàm liberaliter
Deus non modò promiserit susceptionem & defen-
sionem viduarum, sed etiam actu præstiterit; enim
finem ob oculos eadem ponat viduam Sareptanam
3. Reg. 17. ab Elia adjutam. Alteram item, cui Eliza-
per olei multiplicationem 4. Reg. 4. subvenit. Notum
viduam singulari benedictione impetratam. Ruth. 4.
Viduam, cujus Filium Dominus à morte suscitavit.
Luc. 7. Annam filiam Phanuelis, quam propheta
Spiritu donavit, & quam tantopere à S. Luc. c. 2. lauda-
ri voluit, de qua etiam S. Ambrosius l. de Vid. sic scribit
Anna effata jam corpore, cui diversorium in tempore
fuit, colloquium in prece, vita in jejunio, sperantia
viduitatis, & moribus talis inducitur, ut digna placuisse
credatur, qua Redemptorem omnium venisse nuntiaret.
Viduam denique, quæ duos obolos in Geth-
semani phylazium jecit, & præ omnibus aliis laudata à Chri-
sto fuit. Marci 12. Dicat ergo Anna non esse abbo-
viatam manum Domini; qui, sicut dignatus est, huius-
modi viduis per suorum ministerium subvenire, &
& ipsi per similia aut aliis media succurrere potest, si
ei expedire judicaverit. Quòd si non subveniat, non
despondeat Anna animum; interdum enim Deus negat
subsidium, ut augeat coronam, & medium. Beatus
certè viduas esse censeret S. Ambrosius, si exiguis fletibus
modicis laboribus, & brevi patientiâ, transitoriâque
paupertate præmia & gaudia acquirant æterna.

CAPUT VII.

DE ORPHANORUM TENTATIONIBUS.

CXIV. **S**implicius honestus valde & bene educatus juvenis, sed pauper, post amissum intra paucos menses utrumque parentem, vehementer contristatur, eò quod nec media habeat vitam sustentandi; nec Amicos aut consanguineos, qui ipsi succurrere possint, & velint. Quare Pastori suo hanc suam necessitatem explicat, ab eoque solatium & consilium petit. Quæritur, quomodo hæc præstanda sint?

Responsio.

CXV. Inprimis illi ostendat, quantam curam DEUS erga Orphanos gerere promiserit, ita ut, teste S. Davide Psal. 9. adjutor eorum vocari voluerit: Orphano tu eris Adjutor: ut adeò meritò Simplicius cum eodem Propheta Ps. 26. dicere possit: Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, DEUS salutaris meus. Quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Id unicum proin curet, ut dignum se tanto Patre & Adjutore Filium per eximiam vitæ innocentiam ostendat, eumque in finem salutarem S. Gregorii Nyss. de orat. adhortationem semper in mente habeat: Meminisse debemus, quia, quando Patrem DEVM dicimus, quasi Filii DEI agere debemus, ut, quomodo nos nobis placemus de DEO Patre, sic sibi placeat ille de nobis.

CXVI.

CXVI. Secundò ex occasione verborum illorum Ps. 146. *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*: narret illi, quod D. Ildobrandus, & alii gravissimi Authores docent, nempe pulli corvorum à parentibus destitui, quia, dum nascuntur candidi sunt, sive quia deplumes, sive quia pennas habicantes habent; unde clamantibus præ fame, Deus immittit muscas in ora ipsorum, sive vermiculos, alii volunt, per quos pascantur. Horretur ergo Simplicius, ut ipse quoque sedulò & ferventer invocet DEUM, sibi que illa Christi Matth. 6. verba applicet. *Respicite volatilia cœli. quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis plures estis illis?*

CXVII. Tertiò illi ostendat, & in memoriam revocet, quid Tobias Senior olim Filio c. 4. dixerit. *Noli timere, Fili mi. pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & non ceaserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Hæc ergo hæreditatem sibi quoque relictam à parentibus suis credat Simplicius, dicat que cum Propheta Plaut. *Funes ceciderunt mihi in præclaris, quia hæreditas mea præclara est mihi*; nam Dominus pars hæreditatis nostræ, qui nihil deesse patietur timentibus eum, testatur Davide Ps. 33. qui etiam Ps. 36. testatur, neminem cum hac hæreditate relictum se vidisse: *Junior fui, & nimis senui: & non vidi justum derelictum, nec seminem ejus querens panem.*

CXVIII. Quartò denique illum hortetur, ut cum S. Augustino in Ps. 27. dicat: *Cognovimus aliam Matrem DEVM: cognovimus aliam Matrem ferulam cœlestem, quæ est Ecclesia, cujus portio peregrinatorum*

am illorum
, & p
D. lido
npe pol
nalcun
pennas
me, De
culos,
ergo Sim
ter invoc
a applic
neque m
vester can
s illu
memoria
4. dices
a gerim
um, & p
e. Hic
parentib
hera Pl
edita m
litatis mo
, tel
nemice
or sui, ex
nec jemo
ur, ut con
alium Pa
feru
grinatur
terra

ra. Relinquat nos Pater noster, & Mater nostra:
Dominus nos suscipiat consolandos temporalibus, beati-
candos aeternis. Clamet proinde cum eodem in solil.
lidue ad DEUM: *Aperi aures tuas clamoribus la-*
ymarum Pupillorum tuorum, qui clamant ad te:
Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidia-
um, in cujus fortitudine ambulemus die ac nocte,
ut nequequo perveniamus ad montem sanctum tuum.

CAPUT VIII.

DE CAPTIVORUM TENTATIONIBUS.

memoria
4. dices
a gerim
um, & p
e. Hic
parentib
hera Pl
edita m
litatis mo
, tel
nemice
or sui, ex
nec jemo
ur, ut con
alium Pa
feru
grinatur
terra

CXIX. **V**ariæ sunt horum captivorum tenta-
tiones, sed quarum pleræque illis cum
aliis afflictis communes sunt; duæ sunt præcipuæ,
quarum prior ex infamia captivitatis, posterior ex ti-
more damnationis ad mortem oritur, de qua utraque
in hoc capite breviter est agendum.

§. I.

Tentatio 1. Circa infamiam carceris.

memoria
4. dices
a gerim
um, & p
e. Hic
parentib
hera Pl
edita m
litatis mo
, tel
nemice
or sui, ex
nec jemo
ur, ut con
alium Pa
feru
grinatur
terra

CXX. **I**oachimus honestus admodum civis &
mercator, cum propter Fallimentum alie-
rius cujusdam mercatoris gravem adeo bonorum ja-
cturam sit passus, ut solvere debita sua amplius non
potuerit, denique creditorum suorum importunis
accusationibus victus, & in carcerem coniectus est:
ex qua incarceratione quia gravissimam se infamiam
incurrisse sibi persuaserat, gravissimè affligitur, eo
quod ob vitæ honestatem ab omnibus sit æstimatus, &
hono-

honoratus. Quæritur, quomodo contra ejusmodi
tentationem roborandus sit?

Responsio.


CXXI. Inprimis illi exemplum Christi ob oculis
proponat, qui cum esset ipsa innocentia & sanctita-
timò & divina Majestas, tamen non detrectavit in
mem subire carcerem, & pro malefactore haberi
si ergo non sentit sua vulnera miles, qui Ducis
vulnera intuetur; cur non & Joachimus infamiam
suam longè mihiorem æquo animo sustineat, si
vissimam DEI ac Domini sui infamiam præ oculis
beat, & meditetur.

CXXII. Secundò Sanctorum etiam, qui in
cerationem non æquissimo duntaxat animo tulerunt
sed etiam pro summo honore agnoverunt, exem-
ei recenseat; qualia sunt Josephi Patriarchæ, S. Jo-
annis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pau-
li, imò & aliorum omnium Apostolorum ac Mar-
rum, quorum 1043. olim in Wandalica persecutio-
in unum acervum compressi cogebantur eodem loco
quo stabant, naturæ necessitatibus servite, unde ter-
lerabilis fœtor exortus est; uti victor Uticensis lib.
pers. Wand. scribit. Unde S. Chrysostomus hom.
in epist. ad Eph. ait: *Nihil est æquè præclarum, atque*
vincula propter DEVM. Vincitum esse propter Chri-
stum, præclarior est, quàm esse Apostolum, quàm
esse Doctorem, quàm esse Evangelistam. Si quis amat
Christum, novit, quod dicitur. Si quis in DEVM
absorptus est, & ejus amore uritur, novit vim vincu-
lorum. Maluerit esse vincitum propter Christum, quàm
habitare cælos. Cum ergo & Joachimus sine sua cul-
pa

in carcerem sit coniectus, quidni propter Christum
in carceratum se existimet, & honori sibi maximo ean-
dem incarcerationem ducat?

CXXIII. Tertio eidem suadeat, ut imitetur Mar-
tyres antiquos, qui, ut minus sentirent carceris pu-
dorem & infamiam animo in caelis habitabant, unde
de illis dictum est; *Crus in nervo, animus in caelo.*
Hinc & Tertullianus de illis dicebat: *O beati servi*
Christi! O Christiani, membra vestra ligata sunt ca-
tenis, sed spiritus vester est liberrimus. Facient corpora
in carcere, in equuleis, in tenebris, sed mentes ve-
stras nihil potest perturbare. Hoc tantum agite, con-
fundite cogitationibus vestris in palmam, considerate
pulchritudinem & suavitatem caelestis glorie, vagamini
per pulchras mansiones, quas Christus ait esse in caelis.
Quoties eas spiritu deambula veritis; nihil crus sentit in
nervo, cuius animus est in caelo.

CXXIV. Quarto illi ostendat, totam hominis
felicitatem & famam consistere in hoc, quod DEO
placeat, bonamque apud ipsum aestimationem & fa-
mam habeat; unde non curandum est, etiamsi in-
terdum ab hominibus spernatur; si enim saepe Acto-
res in Comœdiis stultorum personam agunt, & ir-
rideri se patiuntur, ut spectatorum oculis placeant,
laudemque apud illos aucupentur; quanto magis ut
DEO placeamus, Christumque imitemur, bre-
vem irrisiionem & infamiam averfari non
debemus.



§. H.

Tentatio II. circa timorem damnationis ad mortem incurrenda.

CXXV. **S**Empronius homo plebejus & Pauper ob varia furta in carcerem conjectus adeò per timorem damnationis ad mortem incurrere cruciatur, & angitur, ut neque comedere, neque dormire possit, imò in insaniam propè adigatur, quare Pastor ad ipsum vocatur, rogaturque, ut timorem hunc, si non omnino eximere, certè lenire concedatur, & temperare. Quæritur, quâ ratione hoc præstare debeat?

Responsio.

CXXVI. Inprimis illi ostendat, quàm inutilis & imprudens sit hic timor; vel enim sequeretur damnatio, quam timet; vel non sequeretur; si non sequeretur, frustra se cruciat timore mali, quod non eveniet; si autem secutura sit damnatio, tum saltem ante tempus imprudenter se affligit imaginatione illius, duplòque gravius, & diuturnius sibi reddit supplicium. Hortetur ergo, ut potius sequatur exemplum Christi, nunquam ob passionem suam, licet bene prævisam, tristati, donec tempus patiendi advenerit. Dicat proin cum eodem: *Pater mi, si possibile est, transseat à me calix iste, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

CXXVII. Persuadeat illi, Magistratum nihil decreturum, nisi quod jam ab ipsa usque æternitate in divino, justissimòque cœli consistorio conclusum est; quæ

quæ proin sententia cùm ex una parte immutabilis; ex altera parte autem summa cum sapientia ac bonitate concepta sit, decet, ut summa quoque cum reverentia, animique tranquillitate excipiat, illudque cum Heli affiduò reperatur: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat.*

CXXVIII. Tertiò firmissimè ipsum credere jubet, DEUM, qui fidelis est, & neminem tentari aut onerari supra vires patitur, ipsi perinde, ac olim SS. Martyribus, adstuturum auxilio suo, effecturumque, ut magnâ animi æquitate, constantiaque id omne, quod per Magistratum decreturus est, sustinere possit, id quod ipse haud dubiè in aliis extremo supplicio affectis non semel factum viderit.

CXXIX. Quartò denique meminisse ipsum jubet, quodcunque supplicium decernendum sit, brevissimo tempore id absolutum iri, atque adedò æquomodo tolerandum esse, si cum æterno & inexplicabili inferni supplicio comparatur, quod propter peccata sua sustinere debuisset, si DEUS ipsum perinde, ut alios ejusmodi peccatores vel statim post peccatum ex hac vita avocasset, vel in statu peccati obduratum discedere permisisset. Certè si illis, qui nunc ob minora peccata in inferno cruciantur, hæc gratia fieret, ut in hanc vitam redire, suæque delicta commertis supplicii expiare possent, promptissimis, lætissimisque animis universa, quæ ullus unquam reus sustinisset, supplicia tolerarent.

— (o) —

CAPUT IX.

DE TENTATIONIBVS IN EXILIVM
MISSORVM.

CXXX. **R**ogerus in carcere per aliquot annos detentus, tandem omnino in exilium missus est; quæ sententia, quia & patria dulcis admodum illi erat, & multos amicos & consanguineos illa habuerat, gravissima illi accidit, & ad mortem penè ipsum afflixit. Certè mortis ipsius sententiam æquiori animo laturum fuisse, intrepidè asseruit. Queritur, quomodo contra tam gravem tentationem laborandus sit?

Responsio.

CXXXI. Inprimis illi pulcherrima S. Chrysostomi & D. Basilii exempla proponat, quorum prior in Cyriacum scripsit epist. 3. Ego, cùm è civitate fugerem, nihil horum curabam, sed dicebam intra mentem ipsum: si vult me exulera, agat in exilium: Deus est terra, & plenitudo ejus. Posterior verò sic locum scribitur in orat. pan. Nullum exilium agnosco, in nullo loco circumscriptus sum, ac neque terram habeo quam nunc incolo, meam habeo; & eam omnem, quam projectus fuero, pro mea duco: imò, ut rectè loquar, universam terram DE esse scio, cujus natura ego sum & peregrinus. Quod ipsum jam olim Ethnicæ agnoverunt, unde Cicero parad. 4. Exilium inquit, terribile est his, quibus quasi conscriptus est habitandi locus; non his, qui omnem terrarum orbem urbem esse dicunt. Et juxta Senecam, non exulare,


inquam potest liber, & DEO cognatus. Hinc & Martellum ab Imperatore in exilium pulsum sic se consolantem introducit: Quod Patria cares, non es miser: etenim ita te disciplinis imbuisti, ut scires, omnem locum sapienti vtro patriam esse.

CXXXII. Secundò eidem ostendat, quòd in Antiphona *Salve Regina* aperte dicamus: *Ad te clamamus exules Filii Eve*: ut intelligamus nos in hoc mundo velut in exilio positos esse; unde & S. Paulus Hebr. c. 13. dixit: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Hinc sicut aves nidulos suos, in quibus aliquamdiu habitabant, libenter deserunt, ut meliorem acquirit; ita & exules libenter suam patriam deserant, ut in cælo saltem jucundius habitare queant. Hinc S. Chrysostomus hom. 50. ad Pop. *Nidus, inquit, est præsens vita ex festucis & luto coagmentatus: licet mihi magnas ades ostendas sive regias ipsas auro multo fulgentes & gemmis, nihil ab hirundinum nido differre censebo; hyemem quidem instante corrueunt*. Cur ergo & Rogerius nidum hunc non libenter deserat?

CXXXIII. Tertiò illi demonstret, quòd, si verè & propriè de hac re loqui velimus, ibi vera nostra patria sit, ubicunque nobis bene est; illud autem, per quod nobis bene est, non in loco, sed in homine sit, hinc si quis sapiens est, peregrinatur: si stultus, exulat, ut rectè Seneca advertit. Quare meritiò quidam alius dixit: Interdum nos quasi formicæ vel apes, si ex una caverna aut alveari exciderimus, hospites, exterique nobis esse videmur. Quod idcirco fit, quia omnia propria & familiaria, ut certè sunt, facere ignoramus. Cum igitur hic mundus omni-

bus communis sit, omnibus patria est (cùm omnes illo ad bene vivendum uti possimus) & sic nullus in eo exulat; id quod bene Anaxandridas Leontis Filius agnovit, qui cuidam acerbè ferenti, quòd ab urbe exulare cogeretur, dixit: Ne, vir optime, exhorrescas à civitate exulare, sed à Justitia exulare horridum est. Sed & Brutus, teste Seneca, dicere solebat, satis esse, quòd in exilium euntibus liceat secum virtutes ferre, illæ enim sunt, quibus se quisque in exilio consolari potest.

CXXXIV. Quartò denique illi ostendat, ubique ad cœlum aditum patere, ut jam olim agnovit Seneca sic ad matrem de suo exilio scribens: Undecunque ex æquo ad cœlum erigitur acies. Angustus est animus, quem terrena delectant; ad illa adducendum est, quæ ubique æquè parent, ubique æquè splendent. Possunt quidem homines invitum natali solo, aut aliquâ terræ parte ejicere, sed non patriâ cœlesti; hic D. Basiliius hom. 4. de grat. act. ait: *Patriâne solutus es? at Patriam habes cœlestem Jerusalem.* Seneca & Ambrosius Ansbertus de S. Joanne Evangelista: *In Insulam Pathmos relegatus, metalloque damnatus, ubi putabatur humanâ vinciri custodiâ, ibi metallo humanitatis transcendens, libero intuitu meruit cœlestia divina; Et cui tunc certa terrarum spatia vetita præadire, secreta concessa sunt penetrare; sic sibi bene temporalibus malis, bonis perfruitur sempiternis.*



CAPUT X.

DE TENTATIONIBVS DAMNATORVM AD MORTEM.

CXXXV. **B**arnabas Prædator & latro famosus post longam inquisitionem tandem deprehensus, & in carcerem conjectus est; ubi sæpius tormentis subjectus, cum plurima crimina & atrocinia fuisset confessus, tandem fatalem sententiam accepit, & ad rotæ supplicium damnatus est; quâ sententiâ auditâ, vehementer tristiari, & affligi cepit, tum quòd tam acerbâ morte plectendus esset; tum quòd tam ignominiosè illi moriendum foret. Quæritur, quomodo contra tantam tentationem muniendus sit?

Responsio.

CXXXVI. Ante omnia illi memorabilem S. Augustini sententiam in memoriam revocet: *In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax medium, quam vulnera, & passionem Christi; quare hoc exemplum assiduè ob oculos Barnabæ ponendum erit, ostendendumque, nihil esse, sive acerbitas mortis, sive ignominia spectetur, quod cum Christi sacratissima morte comparetur, maximè si etiam innocentia Christi consideretur; tunc enim verè cum bono latrone dicere poterit Barnabas: Nos quidem iustè hæc patimur: ipse verò quid fecit? Certè S. Gregorio testis, nihil non equanimiter toleratur: si Passio Christi ad memoriam revocetur.*

CXXXVII. Secundò illi pariter exemplum duorum latronum cum Christo crucifixorum ob oculos
V 3 ponat,

ponat, & disparem utriusque conditionem & finem demonstret, subinseiatque, an non satius sit cum bono latrone peccatum suum agnoscere, & pro illius commeritum breve supplicium æquo animo sustinere, & postea audire verba illa solatio plenissima; *Et diemecum eris in Paradiso*; quam cum malo latrone pertinaciter in sua malitia perseverare, & præter pœnam temporaneam in hac vita toleratam, etiam æternam cruciatum sustinere. Minuetur ergo semper noti versiculi: *Quod iuste patitur, patienter ferre memento.*

CXXXVIII. Tertiò illi ostendat, cum omne peccatum puniri debeat in hac aut altera vita; an eligere cum Mauritio Imperatore malit in hac, quam altera plecti, diceretque cum S. Augustino: *Domine, hic ure, hic seca: modò in æternum parcas.* Certe si optio daretur iis, qui de facto in inferno cruciuntur, aut eligendi ejusmodi mortem ignominiosam aut tartareos cruciatum, haud dubiè dicerent, se usque ad diem judicii quotidie in hac vita rotæ supplicium sustinere deberent, æquissimo & lætissimo modo toleraturos, si per talem pœnam ex inferno liberari possent; quanto promptius eam electuri essent si insuper ob talem mortem illis spes fieret æternæ felicitatis obtinendæ, cum ipse diabolus dixisse feratur se libenter omnes omnium damnatorum cruciatum selective acceptos usque in diem judicii toleraturum, vel unico momento DEUM in cœlis cum Sanctis cerni liceret.

CXXXIX. Quartò illi ostendat, quantum beneficium illi ex hoc capite DEUS exhibeat, quòd diem & horam obitûs, quam aliis ignotam esse voluit.

radicere per Magistratum, tempusque & media
concedere voluerit, ut absque impedimento ullo,
quod alii ex morbo morientes, sive à doloribus, sive
tentationibus, sive ex modico rationis usu patien-
tur, se ad mortem cum magno merito, & laude apud
DEUM, hominésque obtinenda se disponere, sic-
que, ut Ecclesia de SS. Martyribus canit, mortis
lacra (vel pia) compendio vitam beatam possidere
possit. Agnoscat ergo hoc beneficium, & sic eo
statutur; ut & opere ipso gratum se exhibeat, & fi-
nem, ob quem illi hoc concessum est, obtinere me-
atur.

CAPUT XI.

DE SENVM TENTATIONIBVS.

CXXX. **C**Hremes decrepitus seniculus, cum
nec dormire amplius, nec cibos ma-
dicare, nec ob oculorum caliginem legere, scribe-
reque, neque ob pedum debilitatem solus incedere
posset, & præterea pleræque alia senectutis incom-
moda experiretur, graves hac de causa tentationes
impatientiæ patitur, maxime cum quotidie DEUM
orare soleat, ut ipsum per mortem à tantis malis libe-
ret, nec tamen exaudiatur. Quæritur, quomodo
roborandus, & armandus sit contra talem tentatio-
nem?

Responsio.

CXLI. Inprimis illi ostendat, cum juxta commune
proverbium *senectus ipsa sit morbus*; per morbum au-
tem præclaram occasionem augendi merita, virtutés-
que præstantissimas exercendi offerri, communiter

Ascetæ doceant, ideoque Nundinis generalibus (ceteris
 Quid) eam comparare soleant; quam æquum sit,
 ut & ipse Chremes senectutem suam pro speciali bene-
 ficio cognoscat, tamque perinde ut morbum æquissi-
 mo animo ferat, sicque in suam utilitatem & com-
 modum convertat, illam Ecclesiæ & S. Pauli Rom. 12.
 adhortationem animo semper volentes; *Ecce nunc
 tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Abjici-
 mus ergo opera tenebrarum* (id est, peccata in juve-
 nili ætate commissa) *& induamur arma lucis; sicut
 in die honestè ambulemus*, prout grandævos senes, &
 in exemplum Juvenum positos decet.

CXLII. Secundò illi ostendat, quantum pariter
 beneficium per hoc etiam ipsi à DEO collatum sit,
 quòd non modò vitam, atque adeò tempus merendi,
 & æternas, immortalésque divitias & opes congre-
 gandi tamdiu conservârit, sed alteriùs etiam proroge-
 re paratus sit; si enim Rex aliquis thesaurum suum
 aperiret, & cuivis per certum tempus, quidquid ve-
 let, auferendi potestatem concederet, an non magis
 beneficium sibi collatum existimaret, qui certum
 quàm qui decem duntaxat, aut viginti horas pro tali
 oblatione concessas audiret? atqui similis gratia Chre-
 meti per senectutem concessam facta est, cur ergo non
 gaudeat potius, quàm tristetur?

CXLIII. Tertiò illi demonstrer, etiam ex eo ce-
 pite senectutem ipsi gratam esse debere, quòd cum illa
 moriantur vitia, quæ in juventute vigeant, uti rectè
 S. Ambrosius l. 1. hex. ostendit dicens: *Quid natu-
 ram accusas, ô homo? habet illa impedimenta quadam,
 senectutem & infirmitatem, sed senectus ipsa in bonis
 moribus dulcior, in consiliis subtilior, ad constantiam*

subeunda mortis potior, & ad reprimendas libidines
fortior: infirmitas corporis, sobrietas mentis est; ut
adeò merito quivis senex cum S. Paulo 2. Cor. 11. di-
cere possit: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Id quod
ipsi etiam Ethnici agnoverunt, unde Seneca ep. 67.
ait: *Ago gratias senectuti, quòd me lectulo affixit.*
Quidni gratias illi agam hoc nomine? quidquid debe-
bam nolle, non possum. Cui consentiens Cicero de
senect. O! *præclarum*, ait, *munus ætatis, siquidem*
id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissi-
mum.

CXLIV. Quartò denique illi senectutis benefi-
cium ex eo demonstrat, quòd nullam propè rem inter
naturalia bona pluris faciant, quàm honorem & fa-
mam juxta illud: *Omnia si perdas, famam servare*
memento: cui autem magis competit honor, quàm
senibus? ita sanè DEUS ipse verbo & exemplo hor-
tatus est. Verbo quidem, dum Levit. 19. præcepit:
Coram cano capite consurge, & honora personam senis.
Opere autem, dum in cœlo à viginti quatuor seniori-
bus præcipuè adorari & coli, velut ab honoratioribus
voluit, ut S. Joannes Apoc. 4. vidit. Sed & Chri-
stus, ut senectutem honorandam esse monstraret, à
senè Simeone, & Anna octoginta quatuor annorum
vidua in templo excipi, & honorari voluit. Quanto
autem in honore ab aliis hominibus habiti sint senes,
& etiamnum habeantur, vel ex eo patet, quòd, uti
Cicero de senect. dixerit: *Consilium, ratio, sapientia*
constat in senibus, quæ, nisi in illis essent, summum con-
silium majores nostri non appellâssent Senatam. Hinc
& Moyles Num. 11. dixit: *Congrega mihi septuaginta*
Viros de senibus Israël, quos tu nôsti, quòd senes populi
sint.

sint, & Magistri. Quia ergo iste honor senibus haud dubiè propter virtutem, quæ sola mater veræ gloriæ est, teste S. Bernardo, confertur, huic præ aliis studeat Chremes, sibi quæ illa S. Cypriani l. de 12. abus. verbo applicet: *Abusio magna est, si sine virtute senex inveniatur; plus enim virtuti operam dare senibus competit, quos præsentis sæculi florida ætas deseruit. Sicut enim in arboribus reproba comparet arbor, quæ post flores fructus optimos cultori suo non exhibet; sic & ipso reprobus est, quem flos deserit juventutis, & tamen in senectute bonorum operum fructus maturos proferre parvipendit.*

P A R S VI.

DE TENTATIONIBUS
CIRCA IUDICIA DIVINA
OCCURRENTIBUS.

I. **E** T si hæc pars ab initio alicui meritò supervacua videri posset, cum teste Siracide cap. 8. omnium operum DEI nullam homo possit invenire rationem; & quanto plùs laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniatur; & hinc D. Julianus in Concilio Toletano dixerit, divina non discutienda, sed credenda esse, arque adeò generale pro omnibus tentationibus in hac materia occurrentibus telum esse debet illa Tobia Senioris sententia: *Iustus es, Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt;* nam ut S. Paulinus ep. 38. sapienter discurret, *si à DEO omnia: & DEVS bonus est, omnia profectò, quæ fecit DEVS, bona erunt.*

erunt. Si quæ autem sunt in arcanis statutorum ejus altiora sensibus & cogitationibus nostris, etiamsi rationem eorum consequi, & colligere non possimus, tutius tamen nobis est, magis occultas efferationes, quàm nullas credere, quia non ambigendum, omnia DEI esse, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta. Et si, inquam, hæc ita se habeant, quia tamen aliquorum hominum ingenia adeò sunt inquieta, ut neuiquam quieta & libera à tentationibus esse possint, nisi aliquibus saltem rationibus adductis ostendatur iisdem æquitas divinorum operum & judiciorum, ideo ut in hoc etiam genere aliquousque satisfacere possit Confessarius, aut Pastor, pleràsque similes tentationes in hac sexta parte proponam, modumque illis occurrendi ostendam. Unde in sex capita pars ista dividetur, quorum primum de tentationibus circa Deum, secundum circa Christum, tertium circa Angelos, quartum circa Homines in communi, quintum circa Homines bonos, sextum denique circa homines malos occurrentibus tractabit.

CAPUT I.

DE TENTATIONIBVS CIRCA
DEVM OCCURRENTIBVS.

II. **C**irca hunc non pauca tentationes occurrunt, maximè quando tam variæ permissiones & ordinationes considerantur, quæ humanæ rationi minus consentaneæ videri possent, quæ proin nunc ordine sunt referendæ.

§. I.

Tentatio I. Circa creationem malorum Angelorum & Hominum.

III. **E**usebius Clericus legens in aliquo libro historiam, quâ narrabatur, eo tempore, quo S. Bernardus mortuus est, 30000. hominum in iudicio particulari comparuisse, & ex his duos tantum rectâ ad cœlum, tres ad purgatorium, reliquos omnes ad infernum fuisse translatos, vehementer tentatus cœpit, dum imaginari sibi non potuit, quomodo tam misericors Deus tam multos homines, quos praevidebat damnandos esse, creare potuerit præ iis, quos, si creati fuissent, certò salvandos præciverat. Quæ tentatio adhuc majus incrementum accepit, quando in alio libro legit, esse quorundam Doctorum opinionem, qui tertiâ parte plures Angelos damnatos, quàm Salvatos fuisse asserant. Quæritur, quomodo huic tentationi sit occurrendum?

Responsio.

IV. Inprimis illi suggerat S. Hieronymi responsio l. 3. contra Pelag, sic loquentis: *Vis scire rationem? DEVS presentia judicat, non futura: nec condemnat ex præscientia, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat; sed tanta bonitatis est & ineffabilis clementia, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & post malum futurum, dans ei potestatem conversionis & pœnitentia.*

V. Secundò ostendat eidem, licere cuique vii jure suo maximè autem DEO, cui sine injuria Ma-

gestatis licuisset, ad supremi juris sui demonstrationem omnes creaturas, infantes etiam, æternis cruciatibus affligere; quid mirum ergo, si beneficâ voluntate condidit aliquos ob scelera sua affligendos, non ut affligeret, & quod damnet justitia, quos bonitas creavit ipsâ bonitate & justitiâ abusus.

VI. Tertiò illi demonstret, quàm magna emolumenta ex tali creatione sint subsecuta, dum & attributa divina clariùs sunt manifestata, per justitiam in aliquibus, in aliis misericordiam exercitam: & multi homines pereuntium exemplo ferventius virtutem amplectantur, merita sua augent, & ad magnam sanctimoniam aspirant; sicque DEUS ex malis exprimit optima, & velut ex insulso cortice dulcem nucleum eruit.

VII. Quartò illi ostendat, etiam hunc finem creationis hujus non postremum fuisse, ut bonis & electis ad varios usus serviant, uti sat clarè Gerson sequentibus verbis lib. I. de consol. Theol. prosâ 4. indicavit: *Velut animalia propter homines creata sunt, ad obsequiorum varietatem, illa blandiendo, ista saviendo, intelligere sic habemus propter electorum salutem præcitos esse formatos, sive nocere, sive obsequi conentur, ut non gloriatur omnis vel obsequens electis, vel adversans eis. Noverat DEVS scelestos usui futuros prædestinatis, tum ad vitam temporalem, tum æternam; quare propter electorum utilitatem non inutiles omnino sunt. Cadaveris morticini adipem jussit DEVS haberi in varios usus; nam etiam ii, qui suis mortui peccatis sunt, sanctorum vita serviunt: aliena adhuc malitia utilis est filiis DEI.*

§. II.

Tentatio II. Circa permissionem peccatorum.

VIII. **A** Fra pia & devota Virgo videns passim tantam grandia, & multiplicia peccata ab hominibus committi, vehementer miratur, quomodo Deus qui tam facile ea impedire posset, salvâ suâ Justitiâ & Bonitate, nihilominus ea permittat, ideoque à confessorio hanc sibi Justitiâ paulò clariùs explicari petit. Quæritur, quomodo sit eidem respondendum?

Responsio.

IX. Primò illi ostendat, hanc permissionem non modicè ad gloriam DEI, & humani generis exaltationem profuisse; cum enim propter peccata hominum abolenda DEUS incarnatus, & passus sit, clarè sequitur, omnium illorum bonorum, quæ ex Christi Incarnatione & Passione secuta sunt, peccata quodammodo causam fuisse; inde tanta gloria Dei, gratulario, admiratio, & cognitio bonitatis ejus. Ex peccatis homines agnoverunt specialiter DEI patientiam, clementiam, lenitatem. Tantus virtutum apparatus exornat nunc Majestatem ejus, provocat humilitatem nostram ad laudes ejus, ad affectus, ad obsequia, ut non immeritò S. Ecclesia felicem dicat culpam, quæ tantum meruit habere Redemptorem.

X. Secundò eidem ostendat, quantarum virtutum exercendarum, meritorumque celestium augendorum occasio sit eadem peccatorum permissio: ita ut non immeritò dixerit Lactantius: *Ubi vitia non sunt, nec virtuti quidem locus est, sicut nec victoria,*

ubi Adversarius nullus est, ita fit, ut bonum sine malo in hac vita esse non possit. Revolvantur bona, quæ ex peccato Doctoris Parisiensis S. Brunoni & Sociis ejus, & toti per eos Ecclesiæ sunt exorta, & clare apparebit, permissionem hanc non sine ingentium bonorum prævisâ sequela fuisse factam, ut rectè huc applicari possit notissimum illud S. Augustini effatum: *Melius judicavit DEVS de malis benefacere, quàm mala non esse permittere.*

XI. Tertio illi demonstret, non minùs celebrari debere bona morum, quàm naturæ (cùm in illis perinde ac in istis intentio sit semper optima, omnèque defectus præter propositum accidant) sicut ergo monstra naturæ ad decorem mundi spectant; sic peccata, quæ sunt monstra morum, ad Providentiæ divinæ decus pertinent; id quod sapienter etiam S. Thomas advertit, dum ait: *Nec tamen hoc divinæ bonitati repugnat, quòd mala esse permittit in rebus ab eo gubernatis.* Primò quidem, quia Providentiæ non est naturam gubernatorum tollere, sed salvare. Requirit autem hoc perfectio universi, ut sint quadam, in quibus malum non possit accidere; quadam verò, quæ defectum mali pati possint secundum suam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus, Providentiæ divinæ, non regerentur res secundum earum naturam. quòd esset major defectus, quàm singulares defectus, qui tollerentur.

XII. Quarto illi ostendat, quantopere hæc permissio ad ipsius etiam humanæ Naturæ decorem pertineat, quia, ut Trithemius rectè discurret, si Deus non permitteret peccare hominem, brutis videretur deterior, quæ nullâ impellente violentiâ naturæ motibus liberè

liberè utuntur; nam etsi bruta ratione careant, liberum tamen (id est, indifferentem) natura motum habent, quem sequuntur: in quorum comparatione hominè videretur inferioris conditionis, si non haberet liberum voluntatis arbitrium. Permisit autem hominè DEVS voluntatem liberam, cui nec Reges imperant, nec Principes. Hinc rectè S. Isidorus l. de summo bono dixit: Non permetteret Deus mala oboriri, nisi ex contrariis malis Natura bona decor eniteret.

XIII. Quintò illi demonstret, etiam multitudinem peccatorum efficere non debere, ut permissio illius minùs iusta reputetur; nam, ut rectè dixit Alesius 2. p. q. 94. n. 3. plus est bonum, vel numero, vel quantitate, quod elicit DEVS ex malo, quàm si bonum, quòd destruitur per malum. Unde licèt abòlutè videantur plurima peccata, non sunt plura bonis; imò ideo expediebat multa permitti peccata, ut exuberantia bonorum ex multitudine malorum magis illustraretur: id quod egregiè confirmans S. Augustinus l. II. de civ. c. 18. Sicut contraria, inquit, contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt; ita quidam non verborum, sed rerum eloquentià contrariorum oppositione saculi pulchritudo componitur. Et sicut pictura cum colore nigro, suo loco posita, ita universitas rerum (si quis posset intueri) etiam cum peccatoribus pulchra est, quamvis per seipsos consideratos sua deformitas turpet. c. 18. Accedit, quòd unum peccatum sit peccatum alterius, & alterum alterius pœna, quatenus indigni per peccatum sumus divinis auxiliis, unde mirum videri non debet, multa esse peccata, si aliqua oportuerit permitti.

§. III.

Tentatio III. Circa gratiae collationem.

XIV. **R**ogertus Clericus cum animo voveret, Christum in cruce unius latronis miserum esse, non autem alterius; Esau à DEO odio habitum, Jacob autem dilectum: & de facto multis gratiam efficacem, aliis sufficientem duntaxat conferri, gravissimam patitur tentationem circa iustitiam divinam hac in parte agnoscendae tentationem. Quæritur, quomodo aut quid eidem respondendum sit?

Responsio.

XV. In primis suadeat illi, ut saluberrimum B. Fratris Egidii Capucini consilium sequatur, qui de hoc altissimo prædestinationis arcano interrogatus respondit: *Sufficit mihi litus maris ad lavandum pedes, manus, & pedes*: indicare scilicet volens, non esse ulterius profunditatem maris, & iudiciorum divinorum percrutandum; secutus videlicet S. Pauli Apostoli Rom. 9. exemplum dicentis: *O homo, tu quis es, qui respondeas DEO? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit? Quid me fecisti sic?*

XVI. Secundò eidem aliam D. Pauli ex eodem capite sententiam in memoriam revocet, quâ dicit: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud DEUM? absit. Moysi enim dicit: miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor? Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI.* Si ergo nullus mendicus queri iustè potest, quòd alteri potius, quàm sibi data fuerit eleemosyna, quia neutri debebatur, quomodo iustè quis contra DEUM, cuius

cujus voluntas summa iustitia est, teste Salviano, conqueri poterit, quod alteri potius, quam sibi gratiam conculerit efficacem.

XVII. Tertio illi respondeat, quod S. Augustinus c. 8. de dono pers. respondit his verbis: *Sed cur non solum in parvulorum, sed etiam geminorum eadem causa tam diversum iudicium, nempe cum Jacob dilexit, Esau autem odio habuit? nonne similis est questio, cur in diversa causa idem iudicium? recolamus igitur illos operarios in vinea, qui tota die laboraverunt, & eos, qui una hora: nempe causa diversa est impensi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Numquid & hic audierunt murmurantes Patrefamilias nisi hoc, volo? ita quippe ejus fuit erga alios largitas, ut erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem utrique in bonis sunt, verumtamen quantum ad iustitiam spectat, & gratiam, potest & de reo, qui liberatur, recte dici, volo: potest & de eo, qui damnatur, Tolle, quod tuum est, & vade: huic autem volo, quod debetur, donare. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? hinc ille si dicat: cur non & mihi? non audiet: o homo, tu quis es, ut respondeas Deo? qui certe in uno vestram benignissimum largitorem, in altero exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis injustum. Cum enim iustus esset, etiam si utrumque puniret; qui liberatur, habet, unde gratias agat: qui damnatur non habet, quod reprehendat.*

XVIII. Quarto illi demonstret, cum diversae perfectiones DEI, diversa quoque opera esse debent, per quae demonstrentur; sicut ergo per hoc, quod Deus ex malis tot bona eliciat, Sapientia illius & Providentia manifestatur: & per hoc, quod aliquos at-

his ignibus adjudicet, alios ad cœlum admittat, Misericordia & justitia elucet; ita Dominium DEI per hoc, quod unigratiam efficacem neget, alteri concedat, manifestari maximè debebat; quod quidem convenientissimè fieri poterat, si supremum suum Dominatum per hoc ostenderet, quod sibi pro ratione voluntas esset, & exinde nos ad infimam humilitatem, salubrem timorem, reverentiam suæ Majestatis, incrementum gloriæ, gratificationem debitam excitaret. Unde S. Augustinus cap. 99. Enchir. 2. dicit: *Miseretur magnâ bonitate, obdurat nullâ iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis gloriatur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine dicta causa communis. Hoc autem qui eo modo audit, ut dicat, quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?*

§. IV.

Tentatio IV. Circa permissionem morborum, aliorumque similium malorum.

XIX. Eustachius civis cum in gravissimos, & diuturnos morbos incidisset, & extremâ prætere pauperie affligeretur, aliisque plurimis incommodis, quæ vulgus mala dicere solet, premeretur, idèoque Confessarius ipsum pro solatio afferendo visitaret, inter alias suas querelas, quas eidem Confessario suo exposuit, confessus est, nullam sibi ex his omnibus molestiis graviolem accidere, quàm quod persuadere sibi non possit, Deum, qui tam bonus esse dicitur, tantorum malorum Authorem esse. Quæritur,

tur, quomodo huic tentationi occurrere debeat Confessarius?

Responsio.

XX. In primis ostendat, non modo mala non esse, quæ & ipse, & vulgus dicit mala, sed inventum placidum divinum, mediūque efficacissimum ad gratiam, amicitiamque divinam promerendam, ipsamque felicitatem æternam certiùs, uberiùsque procurandam, cum enim maximus promerendi titulus patientia sit, facile apparet, exiguam promerendi occasionem fore, si omnia ad votum cederent. Hinc S. Jacobus c. 1. rectè hortatur: *Omne gaudium existimate, Fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestra patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis integri & perfecti, in nullo deficientes.* Sicut in cera nisi multum tepesfacta & mollita sit, non potest sigillum imprimi: nec in homine sigillum imprimi potest, nisi ex infirmitatibus probetur.

XXI. Secundò ostendat, etiam ad hunc finem valdè expediens fuisse, ut mala permitterentur, ne mundo nimis adhæreremus; si enim adhuc morbi & dilacerati miseriis eas amamus: si illius temporalibus quærimus: si nostram vitā & damna honoramus: quomodo æternam vitam amaremus, si temporalem anteferimus, ejus licet laceffiti injuriis? meritò ergo ne toti procumberemus, in fimo & fæce rerum, conspides aliquas & tribulos disseminavit DEUS, ut vel sic vulnerati erigeremur ad spem & vota alterius vite: & ut gustatâ miseriâ temporali non absorberemur æternâ. Certè in primo nostro Parente Adam clari-

deprehendimus, eum, quamdiu sine experientia mor-
tis, aliorumque malorum fuit, etiam sine timore,
temerèque legem transgressum fuisse, qui tamen si
previðisset vultum mortis, non adeò fortè despe-
n-
d-
n-
um plan-
iam, am-
ue felici-
urandam,
ientia sit,
nem fore,
obus c. t.
e, Fratri
scientia,
e, patient-
gri & per-
si multum
primi: se
x infirmi-
anc fieri
entur, et
e morbi le-
libus
nus: quo-
alem nunc
ritò ergo
rum, cu-
S, ut re-
erius vita-
remur &
dam clari-
depre-

XXII. Tertio illi ostendat, quantam utilitatem
afferant præterea morbi, aliæque ejusmodi mala;
nam, ut rectè Eusebius Nierenbergius p. 1. Theop.
l. c. II. ait, caro pessimè affecta animam sæpe affecit
optimè. Pinguescit spiritus macerato corpore, casti-
gatur doloribus etiam voluptatis memoria; nec tan-
tum libertatem hi adiuvant malefaciendi, sed etiam
votum. Quid felicius impossibilitate scelerum, quàm
etiam fastidium? Quod ipsum egregiè confirmans
Plinius Junior ep. 26. l. 5. sic loquitur: *Nuper me cu-
jusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum
infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia,
aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit
honores, opes negligit, & quantulumcunque relictu-
rus satis habet: tunc DEOS, tunc hominem se esse me-
morat: invidet nemini, neminem miratur, neminem
despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit,
aut aliter: balnea imaginatur aut fontes, hac summa
curarum, summa votorum, mollèmq; in posterum &
pinguem, si contingat evadere, hoc est, innoxiam,
beatamque destinat vitam. Possum ergo, quod pluri-
bus verbis, pluribus etiam Philosophi voluminibus do-
cere conantur, ipse breviter tibi, mihiq; præcipere,
ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profite-
mur infirmi.*

XXIII. Quarto illi ostendat, quanta sit DEI cle-
mentia, quod corpus pro purgatorio animæ assignare
X 3 volue-

voluerit. Favor est nobilium, si non in custodiam publicam mittantur, sed intra domum aut castellum proprium carceris loco coercerentur; cur non ergo & nos specialem favorem reputemus, si DEUS corpora nostra ad expiationem peccatorum deputet. Primus legiarius ille animus est, quem sua ipsius claustra vexant, quem artus sui macerant.

XXIV. Quinto illi ostendat, quantam habet occasionem merita augendi, austeritatemque vix quavis monachali rigiditate leviores exercendi. Quis enim Anachoreta abstinentior aut mortificationis, inquit Nierenbergius loco citato? quis ita corruptis cibis, aut elegit acerbos, qui adæquaret acerbissimum languentium gustum, sine ullo palati saporis vescentium aut insipidis, aut amaris? quis monachus vigilias ægroti ducit? quis ita incommodum lectum quæsit, sicut languens sentit? quis ita se maceravit disciplinis & ciliciis, utique intestinis tabe æstibus & doloribus? quis ita pœnitens appendicem officii, sordes & cultus incuriam adamavit, sicut velerudinarius patitur? Post hæc omnia, non statim bitrio ægritantis rigor, nec tempus, quo duratur est, constat, unde ampliat sensum doloris, aut certe non solatur incertitudo dolendi. Adjice ægrotantium pœnitentiam expiatam esse, & tutam ab omni discretionem & vanitate: è cœlo est, ideo utilior, cœlestis aqua plus fecundat agros, quam fontana. Sed & virtutes necessarias in ægrotante videbis, abstinentiam, castitatem, mirabiliorem obedientiam, nullus monachus tot periculis probatus, tot experientis exercitatus: jubetur scindi, acerbam bibere parat ad omnem molestiam medico. Ubi autem cor-

templatio æternitatis major? prolixæ videntur febricitanti noctes, singulæ horæ producuntur in integros dies: discit ex impatentia brevissimi doloris, quantum erit æternum dolere. Hucusque ipsissimis ferè verbis sapienter Nierenbergius.

XXV. Sextò ei ostendat, quòd etiam ad coelestem Philosophiam & sapientiam docendam DEUS sapienter morbos permittat, & immittat hominibus; suadent enim languores contemptum corporalium, ob oculos ponunt humilitatem nostram, levant animum ad contemplationem cœli, & instituunt in divinis; dum enim valemus, rebus implicamur, suis quisque occupationibus, studiis possessus, nullum DEO, nullum rebus animæ locum expedit: advenientibus verò morbis cessant negotia, ideòque applicatur animus ad conscientiæ curas, Deumque & coelestia contemplanda & quærenda, ut meritò Georgius Pisides morbos *prudens DEI flagellum* appellaverit, & S. Gregorius Naz. animam à DEO afflictam DEO valde propinquam esse dixerit.

§. V.

Tentatio V. Circa criminum dissimulatam vindictam.

XXVI. **A** Chatius advertens, gravissima quæque crimina à sceleratis committi, nec tamen à DEO puniri, gravissimè tentatur circa justitiæ divinæ æquitatem; & quia non poterat sufficienter ex hoc laqueo sese extricare, confessorii auxilium implorat. Quæritur, quâ ratione juvandus sit?

Responsio.

XXVII. Inprimis respondeat illi cum S. Augustino dicente: *Nihil est infelicius felicitate peccantium, quàm poenalis nutritur impunitas, & mala voluntas vel hostis interior roboratur.* Et iterum: *Cùm voluntas maiorem potestatem accipit efficiendi, quod cupit, ex iudicio Dei venit, apud quem non est iniquitas; punit enim eam isto modo, nec ideo injustè, quia occultè.*

XXVIII. Secundò illi ostendat, quòd ipsa conscientia mala sit gravis poena sit; uti rectè S. Augustinus agnovit l. 2. Conf. dicens: *Iussisti, Domine, & verè sic est, ut poena sibi ipsi sit omnis inordinatus animus; hinc alibi fatetur, se passum fuisse in cupiditatibus amarissimas difficultates.* Unde in Ps. 45. ait: *Inter omnes tribulationes humana anima nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum.* Imò S. Bernardo teste, *infernus quidam & carcer anima reatus conscientia est, quapropter S. Ambrosius l. de off. dicit: Quae poena gravior, quàm interioris vulnus conscientiae: nonne hoc magis fugiendum, quàm mors, dispendium, exilium, debilitas, dolor.*

XXIX. Tertiò ostendat, quòd ipsa DEI temeraria iustitia quadam sit; peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur, aliquando reddit, non quantum digni sunt; suffert enim eos, ut sint, qui proficiant; lex enim quia seipsam mollire non potest, nobis (vel à DEO) mitiganda est. Quod confirmat S. Gregorius l. 1. mor. Deus, inquit, nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit. *Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? & rursus*

si, si hac cuncta percuteret, extremum iudicium unde restaret?

XXX. Quartò illi referat, quid S. Anselmus dixerit, sic DEUM alloquens: *Verum quomodo malis parcis, si es totus justus, & summè justus? an quia bonitas tua est incomprehensibilis, latet hoc in luce inaccessiblei, quam inhabitas? verè in altissimo & secretissimo bonitatis tuae later fons, unde manat fluvius misericordiae tuae; nam cum totus, & summè justus sis, tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus summè bonus es; minùs namque bonus esses, si nulli malo esses benignus, melior est enim, qui & bonis & malis benignus est, quàm qui bonis tantum bonus est; & melior est, qui malis & puniendo & parcendo bonus est, quàm qui puniendo tantum.* Et paulò post: *Nempe si misericors es, quia es summè bonus: & summè bonus non es, nisi quia es summè justus; verè idcirco es misericors, quia summè justus es.*

§. VI.

Tentatio VI. Circa vindictam criminum in aliis.

XXXI. **S**ulpitius Confiliarius Aulicus legens in S. Scriptura, quòd ob furtum unius Achan totus Israël divinas iras sustinuerit, & Filius David propter peccatum patris mortuus sit, imò omnes nos Adami posterì peccatum originale, omniàque inde manantia mala hæreditaverimus, graviter tentatur, circa æquitatem divinæ justitiæ, præcipuè cum in legibus suis expressè decìsum inveniat, quòd peccata suos debeant tenere Authores, nec ulterius progredi merus, quàm reperiatur delictum. Imò Deus

X §

ipse

ipse Ezech. 18. dixerit, quòd Filius non debeat portare iniquitatem Patris sui, sed anima, quæ peccaverit, sola mori debeat. Quæritur ergo, quomodo pro hac tentatione vincenda instruendus sit.

Responsio.

XXXII. Primò illi ostendatur, quoties in statu politico filii cum parentibus puniti sint, & de factis puniantur, dum bona Parentum illis auferuntur, fiscoque adjudicantur; si ergo hoc hominibus limitatum duntaxat potestatem habentibus licet, cur non idem DEO velut supremo legislatori ac Domino liceat?

XXXIII. Secundò ostendatur, id fieri interdum, ut humiles & timidi iudiciorum divinorum homines reddantur, si advertant, Deum quandoque propter unius hominis peccatum totam aliquam communitem plectere: & ut, quemadmodum S. Augustinus in l. 5. super Josue q. 8. ait, *non se solum quisque corripit in Populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis & unius hominis alia pro aliis membra sint sollicita.* Quod ipsum confirmat S. Chrysostomus hom. 1. de Verb. Dom. *Vide* inquit, *quomodo unius peccatum toti Populo vindictam accersit? quomodo Deum adversus multitudinem hostem reddidit? sed bona sunt judicia tua, Domine, & ad nostram utilitatem dispensata.* Lues quædam est peccatum: per ultionem evulgatur ac traducitur apud omnes, ne corrumpat omnes, ut, ubi cognoverunt, quantas minas una peperit transgressio, fugiant a temptatione de multis alioqui sumendam aeternam vindictam.

XXXIV. Tertiò ostendatur, quòd per ejusmodi supplicia ob alienum peccatum inflicta non tantùm idipsum alienum peccatum, sed etiam propria puniantur; vix enim dubitari potest, quin in illo Israëlítico Populo, qui propter jactantiam Davidis peste sublati, vel propter Achabi furtum ab hoste cæsus est, plurimi scelesti fuerint, qui ob sua crimina illam mortem velut justissimam pœnam fuerant promeriti.

XXXV. Quartò ostendatur, quòd ejusmodi supplicia non semper mera sint supplicia, sed beneficia & occasiones ad virtutum exercitium, utimore suo præclare S. Augustinus q. 8. in Josue ostendit dicens: *Visibiles afflictiones hominum sive mortes, quoniam iis, quibus ingeruntur, & obesse, & prodesse possunt: novit Dominus in occulto providentiæ suæ, quemadmodum justè quibusque dispense, etiam cùm aliorum peccata videtur in aliis ulcisci. Pœnas verò invisibiles, quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus DEO iudice pro alienis peccatis luit, sicut homine iudice luere nullus, nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Sic anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii.*

§. VII.

Tentatio VII. Circa permissionem tentationum.

XXXVI. **C**olumbanus Religiosus dum Judæ & aliorum ejusmodi hominum infelicem lapsum & interitum ex una parte meditatur; ex altera verò

verò parte præscientiam DEI, quâ certò præviderat, contentationi cessuros, considerat, non potest capere, quomodo DEUS, salvâ suâ infinitâ bonitate, tentationes ejusmodi permittere potuerit. Quæritur, quomodo æquitas hujus permissionis ei persuadenda sit?

Responsio.

XXXVII. Inprimis illi referat, quid Gerson tom. 2. serm. ad Eccles. cautel. ad hanc quæstionem responderit dicens; *Cur Dominus Judam, quem casurum sciebat, elegit in Apostolum?* Ego, inquit, duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est. Respondi, quæstionem istam unam esse ex illis, quas inuens Apostolus reverenti silentio præteriens honoravit, exclamans: *O altitudo divitiarum scientia & sapientia DEI!* Hoc unum scimus, quod in Juda DEVS non causavit improbam voluntatem perditionis scelerata in esse malitia; attamen ipse hac maculatâ voluntate bene usus est, tamquam DEI sapientia attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaver.

XXXVIII. Secundò illi ostendatur, quod, ut Richelius Carthusianus in 2. sent. distin. 23. fol. 418. bene notavit, DEUS ita disponat ac ordinet universa, ut suam sapientiam, & rerum à se creaturarum naturam, proprietatésque decet. Cùm igitur homo in hac vita constitutus sit tamquam viator & miles DEI ad honorandum Creatorem suum in omnibus, & ad resistendum adversariis divini honoris, decuit, ut Creator permitteret, eum ab impiis impugnari, eumque faceret liberè reluctari.

XXXIX.

XXXIX. Tertiò ostendatur, quòd etiam ordo & pulchritudo, & bonum universi exigant hujusmodi permissionem; nam ordo quidem exigit, esse creaturas libero arbitrio præditas, quæ suos actus & motus liberè exequi permittantur. Pulchritudo exigit, ut opposita juxta se posita ex mutua comparatione evidentius elucescant, ac innotescant. Bonum denique universi exigit, ut ex multiplici gradu malorum ac miserorum gradus & excellentia multiformis bonorum ac beatorum præclariùs emicent, sed & perfectio ac gloria Creatoris abundantius repræsentetur, laudetur, & honoretur.

XL. Quartò ostendatur, quòd DEUS, quantum in se est, universos & singulos velit salvari, hominesque ideo permittat tentari, ut resistendo & prævalendo copiosius mereantur, ac gloriosius contendantur; & præterea infirmitates suas experiri, ad Creatorem confugiant, ac semper magis solliciti, timorati, ac custoditi permaneant.

CAPUT II.

DE TENTATIONIBVS CIRCA CHRISTI PERSONAM.

CIRCA CHRISTUM tres duntaxat tentationes præcipuè occurrere solent, videlicet an conveniens fuerit, quòd humanitatem assumpserit tam vilem, & Angelicam naturam postposuerit: quòd item se in cibum præbuerit, & tandem tot, tantaque tormenta, ipsamque mortem sustinuerit. Quæ quidem tentationes quâ ratione vinci debeant, hoc capi-

capite breviter (nec enim magno molimine opus est) ostendetur.

§. I.

Tentatio I. Circa Humanitatem assumptam.

I. **S**implicius vir cæteroqui doctus dum magnitudinem simul Divinitatis, & vilitatem Humanitatis accuratius considerat, imaginari sibi non potest, quodd vel conveniens, vel decorum fuerit, Deum adeò se demittere, ut Humanitatem sibi ætiffimo unionis hypostaticæ vinculo copularet. Quæritur, quomodo hæc illi convenientia persuadenda sit?

Responsio.

II. Primò illi ostendatur, Incarnationem istam verè convenientissimam fuisse respectu DEI, quia, ut sapienter advertit S. Damascenus lib. 3. orth. fid. cap. 1. per illam demonstratur bonitas (quatenus non despexit proprii plasmatis infirmitatem, sed eidem se summo modo communicavit) justitia (teste Apostolo Rom. 3. dicente: quem, Christum, proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem Justitiæ suæ) sapientia (quatenus invenit difficillimi pretii facillimam solutionem) & potentia infinita, cum nihil majus excogitari possit, quàm Deum hominem fieri.

III. Secundò ostendatur, eandem Incarnationem etiam respectu Verbi divini convenientissimam fuisse, quia decentissimum fuit, ut immutabiles & æternæ imaginis Patris humanum genus ad imaginem

nem DEI factum, & per peccatum corruptum pristino suo nitore restitueret; & ut Persona, quæ in SS. Trinitate gignitur, etiam in terris nasceretur, sicque in terris diceretur Filius hominis, qui in cælo est Filius æterni Patris: item ut homines efficerentur Filii adoptivi & hæredes regni cœlestis per eum, qui est Filius naturalis Patris æterni, ut S. Thomas q. 3. a. 8. discurret.

IV. Tertiò ostendatur, naturæ quoque humanæ convenientissimam fuisse, quia vel maximè decebat, ut, sicut homo offenderat, ita & homo satisfaceret: & major dæmonis confusio erat, si ab humana natura, quam seduxerat, vinceretur: præterea humana natura tota, quantum in se erat, ceciderat, & decepta fuerat, & maxima ex parte per alienam voluntatem peccaverat, quæ omnia sicut in Angelica natura non reperiebantur, ita suadebant humanam potius, quàm illam esse assumendam.

V. Quartò ipsi quoque universo fuisse convenientem ex eo patet, quòd sic auctum sit nobilissimo entis genere, scilicet unionis hypostaticæ, unde factum est, ut universum omnes rerum ordines, puta naturæ, gratiæ, & unionis hypostaticæ comprehenderet; & sicut in substantiis reperitur una natura cum una hypostasi, & alia cum tribus, ita plures quoque naturæ in una hypostasi reperirentur. Et tandem ut sicut datur homo productus sine viro & muliere, ut Adam: & productus ex viro & muliere, ut Abel: & productus ex viro sine muliere, ut Eva: ita quoque homo ex muliere sine viro produceretur.



§. II.

Tentatio II. circa Christum Eucharisticum.

VI. **E**usebius Clericus non dubitat quidem de possibilitate Eucharistiæ, id unum tamen capere non potest, quomodo decorum Deo esse possit, se in cibum præbere, & per talem porrectionem se tot injuriis, irreverentiis, aliisque incommodis exponere. Quæritur, quâ ratione ab hac tentatione liberari debeat?

Responsio.

VII. Inprimis demonstretur, quòd Eucharistia sit summum amoris artificium, atque adeò, cum etiam Platone teste, amor sit gloriosissimum opus etiam in omni humilitate; neque dignius quam divinitate sit, quàm charitas, meritò actus perfectissimus charitatis, qui est transformatio non moralis duntaxat, sed etiam physica in amatum, indecorus Deo videri non debet. Certè Anacreon jam olim duxit non fortunatiùs solliciturum corda amorem, quàm si intra pectus conderetur, & se protèus jactaret in viscera. Quod autem ille optavit, hoc Eucharistia Christus implevit.

VIII. Secundò ostendatur, quòd Christus, testè Algero, propterea communicaverit sese hominibus, ut visibiliter etiam corporis & sanguinis sui mirifico Sacramento Ecclesiam sibi uniens & concorporans tantâ gratiâ insigniret, ut ipse caput ejus, & ipsa esset corpus suum; non tantùm nomine tenus, sed in veritate sui corporis verè sibi concorporatum, ut in illo

nullius gratiæ nobis esset divortium, cum quo nos solidaret tam unice unitatis Sacramentum, certumque esset hoc pacto nos cum ipso per ipsum similem dignitatis obtinere gloriam, quid autem in hoc non optime conveniens?

IX. Tertiò ostendatur, quòd, cum DEUS homines creavit ad visionem maiestatis suæ, & perfectissimam unionem moralem cum ipso per amorem, meritiò ipsi indecorum dici non debeat, si pignus illi perfectissimum ad talem beatitudinem relinquat, quale vel maxime est unio cum corpore Christi; nam, ut iterum Algerus advertit, non esset misericordiæ DEI & iustitiæ condignum, si eos repelleret à consortio, quibus tam familiariter uniri dignatur in hoc exilio, eiusque honoris vicissitudinem non rependeret in manifesta visione suæ Maiestatis; nam quomodo ibi fieret diversum, quod hinc factum est unum? Et quid ad salutem nobis deerit, cum ille, qui salus est omnium, nobis unitus fuerit?

X. Quartò ostendatur, si DEO indecorum non fuit, assumere humanitatem, ei que realiter uniri, neque indecorum videri debeat, si se per Sacramentum eidem uniat, cum, ut S. Terefia advertit, majus sit beneficium hoc, quam DEUM fieri hominem, nam in Incarnatione non deificavit nisi animam & carnem suam uniens illam cum sua Persona; at in hoc Sacramento voluit DEUS deificare omnes homines, qui melius aluntur cibus, quibus à pueritia nutriti sunt, cumque in baptismo geniti fuisset ex toto DEO, voluit, ut ex toto se aleremur juxta dignitatem Filiorum, quam nobis tribuit.

XI. Quintò ostendatur, quàm decorum DEO sit, ut nobilissimum suum opus, & Corpus, cujus caput Christus est, Ecclesia videlicet, arctissimo modo unitum conseruetur; atqui coagulum hujus corporis Caro & Sanguis Christi sunt; per hæc enim mysteria non tantum sumus unum cum Christo, sed inter nos; ardentissimâ enim charitate congelamur archiūnam si uniti sumus Christo, & Christus nobis, non quoque inter nos per Christum uniemur juxta notum axioma: Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se.

§. III.

Tentatio III. Circa Christi passionem.

XII. **A** Lipius Ethnicus prius, sed postea ad fidem conversus, etsi fateatur, in multis fidei nostræ articulis se grandem difficultatem pati, nullam tamen gravius sibi negotium facessere, quàm quòd Christus, cum Deus sit, & unico actu virtutis redimere totum genus humanum potuisset, tantos tamen cruciatus & mortem tam ignominiosam & acerbam sustinere voluerit. Quæritur, quomodo hæc ei difficultas mollienda, aut eripienda sit?

Responsio.

XIII. Inprimis ei ostendat, quòd juxta privilegiariam legem Platonis nihil, quantumcunque vile, vile censeri debeat, si ex amore fiat, eo quòd charitas omnem vilitatem & humilitatem commendat, uti præclare ostendit Balduinus dicens: *Tradidit Pater Filium, tradidit & se Filius, & hoc*

ex charitate, nec traditionis rea est charitas, sed innocens est etiam in morte Christi; soli enim charitati licet, quidquid libet, & impune; sola Deum cogere potest, quasi imperiosa. Hæc de cælo Deum deposuit, hæc in cruce posuit, hæc tam innocenter, quam salubriter sanguinem Christi fudit in remissionem peccatorum. Ergo gratiarum actio tota pro salute mundi charitate debetur.

XIV. Secundò eidem ostendatur, quòd nec ipsi Ethnici divinitate indignum judicârunt, variis laboribus & passionibus exerceri, uti patet in Hercule, quem summis laboribus exornârunt, & omni conlectârunt patientiâ. Certè de ignominia Reguli non confusi, sed gloriati sunt Romani, quia pro illis utiliter passus, & cruci suffixus est; cur homo erubescat, & indignum arbitretur, quòd DEUS pro se nihil minùs passus sit? hinc meritò Theodotus Ancyranus Episcopus, nequaquam, inquit, hæc passiones appelles, sed passionum nostrarum potius sanitates, & soli mihi membra virginis ad opprobrium offerre Divinitatis; non enim horum indigna natura est. licet advenientes contumeliarum passiones nobilitatem corporis devastârunt; ut non immeritò Tertullianus humilitates & passiones JESU necessarium decus fidei nominârunt.

XV. Tertiò illi ostendatur, quòd per suam passionem nihil de Majestate Divinitatis perdiderit; hinc S. Paulus dixit non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, super quæ verba S. Chrysostomus, quod rapuit quis, inquit, & præter congruum accepit, istud deponere non audet, veritus, ne pereat ne excidat. sed perpetuò ipsum detinet. Qui verò naturalem quandam

dignitatem habet, non veretur descendere etiam ab illa, sciens, quòd tale nihil passurus sit.

XVI. Quartò eidem ostendatur, quòd hoc ipso, quòd tam magnus fuerit, humilitatem passionis aspernari non debuerit, juxta illud Sapientis præceptum: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*, hinc rectè Balduinus ait: *Secundùm magnitudinem dignitatis aqua sit mensura humilitatis. Humilitas in bono honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore ipsa sibi sufficit ad honorem; honor verò sine humilitate sese perdat ad confusionem.*

CAPUT III.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
ANGELOS.

I. **P**Ambo Monachus, dum illud Isaia c. 14. legeret: *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui convenerabas gentes. Verùm tamen ad infernum decesseris in profundum lacu: ingenti commiseratione tactus erga ruinam tot nobilissimorum spirituum, non levem exinde sentit tentationem circa bonitatem Creatoris, ut qui tantam multitudinem (nam nonaginta novem partibus Angelos malos superare multitudinem hominum aliqui existimant, inducti ex eo quòd Pastor Evangelicus dimisisse 99. oves, & centesimam, id est, humanam naturam quæ sive dicatur non perinde ac homines sanguine suo, ut facile potuisset, redemerit. Quæritur, quomodo persuaden-*

us sit, ut hac etiam in parte Deum nihil contra bonitatem aut iustitiam suam egisse credat?

Responsio.

I. Inprimis illi ostendatur, quod valde decuerit primum DEI contemptum rigore compensari, ne ipsa misericordia auspicaretur scelera; semper enim prima delicta sustinent impetum iustitiæ; hinc solemne est legislatoribus prudentissimis totâ severitatem in primos transgressores exonerare, in magistros peccandi, uti apparet in exemplo Bruti, qui recentem Patriæ libertatem etiam Filiorum cervicibus sustentavit: Alexandri, qui auspiciâ Persici regni dedicavit Bessi jugulo; Salomonis, qui pacifici Regis titulum impetravit, primis Adoniæ Fratris & Joabi consanguinei suppliciis.

II. Secundò ostendatur, quod Angelorum malignitas indigna fuerit tali veniâ, utpote qui cum magna deliberatione deliquerint; & præterea perspicacior longè intellectu ob carentiam corporis præditi fuerint; unde, ut Alcuinus ait, quantò sublimior Angelus in gloria, tantò amplior in ruina fuit.

IV. Tertiò ostendatur, quod Angelica Natura per homines refarciri potuit, non item humana per alias creaturas; nec gloriari oportebat æmulum Deo Luciferum, quod interceptisset consilium divinum suffiendorum hominum pro Angelis, sed potius pudere, quod ab hominibus spoliaretur, ut verificetur, quod Salomon sap. 10. dixit: *Iusti tulerunt spolia impiorum.*


V. Quartò denique ostendatur, tam pro hoc, quàm aliis similibus casibus sequens S. Augustini

in Ps. 149. monitum ob oculos habendum: Etsi nos non intelligamus, quare quidquid fiat, demus hoc Providentia ipsius, quia non fit sine causa, & non blasphemabimus. Cum enim cœperimus disputare de operibus DEI, quare hoc, & quare illud, & non debuit sic facere, malè fecit hoc, ubi est laus DEI? omnia considera, quomodo placeas DEO & laudes Artificem. Quòd si fortè intrares in officinam Fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et si imperitum hominem nescientem, quid, quare fit, & omnia reprehendit. Sed si non habet peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicet? non sine causa hoc loco folles positi sunt, aristes novit quare, etsi ego non novi. In officina non audeo vituperare fabrum, & audeo reprehendere in hoc mundo DEVM?

CAPUT IV.

DE TENTATIONIBUS CIRCA HOMINES
IN GENERE.

Circa hos variæ occurrere possunt tentationes, sed quinque præcipuè, nimirum cur DEUS permittat malos cum bonis permisceri: cur aliquos affligat, non item alios: cur omnes licet ante jam in particulari iudicio iudicatos denuo in valle Josaphat iudicandos sisti velit: cur tot ex hominibus damnari permittat: cur non omnes in gloria creantur: quæ omnes quæstiones breviter hoc in capite relatu ventur.



§. I.

Tentatio I. Circa bonorum & malorum hominum confusionem.

I. **S**apientius civis, cum & se, & alios concives tam graviter à malis hominibus vexari, opprimique adverteret, vehementer tentatur circa DEI tot homines malos inter bonos tolerantis bonitatem, & propemodum ad DEUM de injusta & improvida mundi gubernatione arguendum incitatur. Quæritur, quid consilii ad hanc tentationem superandam ei suggerendum?

Responsio.

II. Inprimis illud S. Augustini in Ps. 54. ei proponat: *Contristatus sum, inquit, in exercitatione mea, & conturbatus sum. Ubi contristatus? ubi conturbatus? in exercitatione mea, inquit, homines malos, quos patitur, commemoratus est, eandemque passionem malorum hominum exercitationem suam dixit. Ne putetis, gratis esse malos in hoc mundo, & nihil de illis boni agere DEVM. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

III. Secundò aliam illi rationem ab eodem Sancto Patre c. 8. de dono persever. propositam proponat: *Hominibus videtur, inquit, omnes, qui boni apparent, fideles perseverantiam usque ad finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicavit, mittere quosdam non perseveraturos certo numero Sanctorum suorum, ut, quibus non expedit in hujus vite*

tentatione securitas, non possint esse securi; multos enim à pernicioſa elatione reſſe, quod ait Apoſtolus: Quapropter qui videtur ſtare, videat, ne cadat.

IV. Tertio illi ſimilitudines à Chriſto de Zizanijs bono ſemini commixtis; item de ſagena miſſa in mare, & ex omni genere piſcium congreganti proponat; ex his enim facile colliget, non fruſtra Deum permittere, ut reprobi & mali cum bonis & electis conjungantur, nimirum ut ſuo tempore & ipſorum Electorum innocentia coram toto mundo magis eluceſcat, & ipſius etiam DEI Juſtitia, miſericordiæque magis, clariuſque pateſcat.

V. Quarto eidem exemplum Hortulanorum obiciat; an non enim hi ſpinas in hortis ſuis tolerant, ut pulcherrimæ, ſaluberrimæque roſæ inter eas naſcantur; quid ergo mirum, ſi & DEUS peritiſſimus Hortulanus in horto Eccleſiæ ſuæ ſpinas & tribulas perverſorum hominum verſari permittat, ut purpureæ Martyrum Roſæ, & candentia Virginum lilia inde tanto copioſius enaſcantur.

§. II.

Tentatio II. Circa varietatem afflictionum.

VI. **L**Ydwinæ honeſta Matrona, graviffimis tamen morbis & pauperie preſſa fatetur Confefſario ſuo, ſe graviffimè nonnunquam tentari, dum alijs, licet vitam peſſimam ducentibus, omnia propter & ad votum fluere, ſe verò ſuique ſimiles DEO ſincerè ſervire cupientes varijs calamitatibus opprimi tantumque non obrui advertit. Quæritur, quomodo hæc ei tentatio ſit eripienda?

Responsio.

VII. Inprimis illi ostendatur, hanc ipsam tentationem jam olim S. Davidem fuisse passum, uti ipsemet Ps. 72. faterur dicens: *Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei. Quia Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns: quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.* Quomodo autem ab hac tentatione ereptus sit, indicat ibidem, dum ait: *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, & intelligam in novissimis eorum.* Utatur ergo & ipsa hoc medio, & haud dubiè pariter à tentatione liberabitur.

VIII. Secundò objiciat illi exemplum Christi, B. V. & sanctissimorum quorumvis hominum, quaratque, an non ipsi potiori jure hanc querelam movere potuissent; nec tamen fecerunt, haud ignari videlicet, tantò se DEO chariores & gratiores esse, quantò plura & graviora pro ipso pertulerint, uti Angelus Raphaël Tobiae cap. 12. dixit: *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Hinc & Apostolus Rom. 8. dixit: *Quos praeceperit & predestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit primogenitus in multis Fratribus, qui per tribulationes patienter toleratas veros quoque Dei Filios se ostendunt.* Et S. Macarius hom. 15. dixit: *Ea est Christianae Religionis via, ut, ubi est Spiritus Sanctus, ibi statim sequatur conflictus & persecutio; nam statim à cruce spiritus Paracletus transivit ad Christianos.*

IX. Tertio ostendatur, hoc indicium esse magni profectûs in virtute & perfectione, ut jam olim Seneca lib. de prov. indicavit dicens: Hanc ratio-


Y 5

nem

nem Dii sequuntur in bonis viris, quam in Discipulis suis Præceptores, qui plùs laboris exigunt ab his, in quibus certior spes est. Dicant ergo ipsi: digni vili sumus DEO, in quibus experiretur, quantum natura humana posset pati. Optimi milites ad durissima mittuntur; nec tamen quisquam dicere audeat: Dux malè de me meruit, sed: Bene de me sensit.

X. Quartò illi narretur, quod Christus S. Gertrudi, cùm valde turbata esset, dixit: Ne contristare, delector enim tuâ cohabitatione, ideo ut mecum maneat, mitto tibi amicos (& alias res) contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras. Facit nempe DEUS, quod is, qui avem in cubiculo circumvolantem capere vult, ideòque nullibi quiescere finit, donec fatigata se in manus tradat.

XI. Quintò aliud S. Chrysostomi monitum proderit significasse, quod hom. 54. in Matth. suggerit dicens: *Quos ante mundi constitutionem suos esse cognoscit DEUS, tantis eos laboribus onerat, & tam diu laborare facit, donec digni efficiantur regno celorum. Quosdam itaque propterea affligit, ut interim contemptum persuadeat temporalium, & pretiosos sibi faciat meritorum censu patientiâ, & gratiores confidentiâ divini auxilii.*



§. III.

Tentatio III. Circa iudicium universale.

XII. **A** Charius gravis peccator, dum recogitat, quòd peccata sua quondam in extremo iudicio coram toto mundo sint manifestanda, non modicè turbatur, Christumque propè crudelitatis arguit, eò quòd non contentus privato iudicio post mortem cuiusque statim subeundo, insuper etiam universale instituire voluerit, sicque novam, eamque gravissimam pudoris pœnam adjicere. Quæritur, quomodo iustitia hujus Iudicii illi demonstranda sit?

Responsio.

XIII. Inprimis illi ostendatur, quòd, cum per iudicium privatum iustitia DEI soli iudicato innotescat, meritò decebat, ut eadem iustitia etiam toti generi humano manifestetur; sicut in humanis etiam iudiciis sententia prius in carcere reo soli indicatur, postea toti populo ad Rei supplicium accurrenti promulgatur; hinc David Ps. 50. dixit, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicâris.*

XIV. Secundò ei ostendatur, quòd ipsa etiam Christi gloria exposcebat, ut, sicut ipse ab hominibus injustè iudicatus est publico supplicio & iudicio, ita publico etiam ipse homines iudicio iudicaret, sicque impii viderent, cum confusione maxima, quem summa cum impudentia, injustitiâque crucifixerunt.

XV.

XV. Tertiò illi ostendatur, quòd, cùm homines non solum corpore, sed etiam animâ consent, utique conveniens fuerit, ut non anima duntaxat, sed corpus etiam in iudicio compareat, sententiâque, & præmium vel pœnam operum suorum accipiat: hinc Apostolus 2. Cor. 5. dixit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

XVI. Quartò ostendatur id ipsum etiam æquissimum fuisse ad justos gravissimè, iniquissimèque vexatos de suis Adversariis vindicandos. Hinc Salomon Sap. 5. hanc causam indicans ait: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiarunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in jubilatione insepulta salutis, dicentes intra se, & pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritûs gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improprietatis. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter sanctos fors illorum est.*

XVII. Quintò illi ostendatur, etiam ad viventium utilitatem decens fuisse, ut iudicium universale institueretur, ut, quos ipsa supplicii æternitas & formido à peccatis non absterret, ipse certè publici pudoris subeundi metus cohiberet; si enim, in hac etiam vita tantus interdum reos horror publicæ confusionis invasit, ut eandem evitandam ultrò sibi mortem asciverint; quantò magis timor confusionis coram toto genere humano sustinendæ averfanda erit. Certè hoc

motivo Methodius judicium universale Regi Bulgariae pingens, ipsum cum tota gente illa ad Catholicam fidem traduxit.

§. IV.

Tentatio IV. Circa damnatorum multitudinem.

XVIII. **S**tephanus vir honestus, cum concionatorem de paucitate salvandorum loquentem, & quod tempore illo, quo S. Bernardus mortuus est, inter sexaginta millia hominum in judicio apparentium non nisi quatuor animæ salvatæ fuerint, narrantem audivisset, imaginari sibi non potest, quomodo hoc, salvâ DEI infinitâ bonitate, contingere potuerit. Itaque tentationem hanc suam confessorio suo manifestat. Quæritur, quid illi respondendum sit?

Responsio.

XIX. Inprimis illi ostendatur, quod, si peccantes cum damnatis comparentur, omnino reperturus sit, majorem longè esse Misericordiam, quam Justitiam DEI; quàm multi enim delinquant; nec tamen puniuntur. Quis autem si plures Majestatis læsæ rei forent, & ex illis plures quidem punirentur, sed tamen multi veniam obtinerent, non magis Regis læsi clementiam deprædicaret, quàm severitatem argueret.

XX. Secundò ostendatur, cum ex una parte multæ rationes persuadeant, liberum homini arbitrium relinquendum fuisse; ex altera verò parte ipsa S. Scriptura

ptura testetur, sensus & cogitationes hominis prona esse ad malum ab adolescentia sua, admirandum potius esse, quod non plures pereant, quam quod tot damnentur. Certè magis mirum est, unum lapidem ruere in altum, quam si mille deorsum ruant. Cum ergo naturæ humanæ proprium sit, ob peccatum originale interire, nescit profecto, quid peccatum sit, & horribilis ejus enormitas, qui ejus demeratur exitium, inquit Nierenbergius p. 1. l. 1. c. 15. Theop.

XXI. Tertiò ostendatur illi, quod idem Author l. c. ulterius dicat: sed & justitiam DEI aliqua pompa decebat; & non valde magna est, post tot damnatorum apparatus, si beneficentiæ & Misericordiæ amplitudinem spectes; oportebat enim elucere gratiam DEI inter multa salutis discrimina, &, ut egregiè differit Joannes Gerson, damnationis caulam, quatenus resultet carmen illud pulcherrimum ex gravi tenore justitiæ, & molli cantu misericordiæ, de qua proficitur Propheta. Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine. Quod si pauciores sunt, qui salvantur, manifestior in hoc est gratia DEI, quem admodum inter surdos, claudos, mutos, & mortuos, pauciores sunt, qui miraculo curantur, quam qui propriæ conditioni relinquuntur. Unde qui paucos salvari miratur, non esse plurima miracula admitatur.

XXII. Quartò eidem ostendatur, non tantum propter homines justos, sed & propter justitiam & gloriam DEI, dignè nonnullos damnari; si enim propter justitiam humanam, & salutem temporalem Reipublicæ, & honorem Principis terreni, interdum aliqui

aliqui damnantur ad supplicia temporalia, quando magis propter iustitiam DEI, gloriamque damnari possunt aliqui ad sempiterna supplicia; meretur sane partis percussione decor totius; cum ergo finis totius naturæ nostræ sit gloria DEI, digna utique erit ostentatione per omnes suos numeros etiam cum iactura scelestorum. Hinc eleganter Tertullianus ait: *Major boni portio modico malo ad testimonium sui utilis.*

XXIII. Quinto denique si hæc omnia nihil proficiant, aut sublimia nimis videantur, hortetur, ut ad commune & universale remedium fugiat, intellectus, &, sicut articulis fidei assentitur, etiam si ipse capere eosdem non possit, ita & in hoc facto Deum iustissime procedere sentiat, licet iustitiæ talis æquitatem non capiat, dicatque: *Iustus es, Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt.*

§. V.

Tentatio V. Circa creationem in gloria.

XXIV. Nicasius Doctor Juris audiens illam S. Scripturæ sententiam, quod DEUS velit omnes homines salvos fieri, cogitare apud se cœpit: si Deus vult omnes salvos fieri, cur non omnes in gloria creavit? an non hoc ipsi magis gloriosum, magisque bonitati illius congruum, totique generi humano magis salutare fuisset? sic secum discurrens, cum solvere hoc argumentum non potuisset, occasionem nactus Parocho illud proposuit. Quæritur, quid illi respondendum fuerit?

Respon-

Responsio.

XXV. Inprimis quidem ipsi ostendat, quantum augmentum gloria DEI perceperit hactenus, & deinceps adhuc usque ad finem mundi perceptura sit ex tot præclaris & generosis actibus virtutum à Christo, B. Virgine & reliquis Sanctis elicitis, ex tam copioso sanguine ab eodem Christo & SS. Martyribus profuso; quo toto augmento gloria divina carere debuisset, si DEUS statim ab initio omnes homines in gloria creare voluisset; cum ergo omnium hominum interitus cum gloria DEI comparatus minoris estimandus sit, quam vermiculi aut culicis calcatio ad honorem & gustum maximi Regis, facile appareat, quam parùm decuerit, homines ab initio statim in gloria creari.

XXVI. Secundò eidem ostendat, quanta itidem gloria humano generi, accesserit ex eo, quòd Christum humanam naturam assumpserit, tantique eam fecerit ut tot labores assumere, tam copiosum sanguinem profundere, ipsamque crudelissimam & ignominiosissimam pro illius redemptione mortem subire voluerit. Quantum præterea gaudium Beati homines in cælis per totam æternitatem ex gloriosissimo Christi aspectu percepturi sint; quibus omnibus bonis caruisset humana natura, si mox ab initio in gloria creata fuisset, cum tamen hæc ipsa bona tanti facienda sint, ut innumerorum hominum interitus potius, quam carentia tot bonorum permittendus fuisset.

XXVII. Tertio illi referat, quid Junilius Africanus, teste Eusebio Nierenbergio p. I. l. 2. c. 24. Theophrastus ad quæstionem sibi ipsi propositam: *Si omnia, quæ in præ-*

presenti saeculo gesta sunt, ad futurum respiciunt, cur opus erat, ut à DEO praesens saeculum fieret? Responderit, nempe quia decuit, ut creaturae rationales prius discerent, & exercitarentur in dubiis, ac tunc æternis postea fruerentur: & meritò data viderentur probatis, & gratiora fierent reminiscantibus transacta certamina & plùs glorificaret donatorem, qui pios in hoc saeculo iuvat, & ut vincerent, & victoribus æterna præmia concederet. Itaque præcedentes labores obsonant sequentem beatitudinem, discrimina con-
diunt securitatem, & quodammodo donatorem magnificant, dum donum cumulant, cum placidiùs faciant. Quò etiam referri potest S. Augustini sententia dicentis, quòd desiderata diu dulcius obtineantur, citò data vilescant.

XXVIII. Quartò ostendat, quòd, cum ex hominibus quasi lapidibus quadratis cœlestis Jerusalem edificanda sit, necessariò ad eos quadrandos in hoc saeculo malleus & securis tribulationum & laborum prius fuerint necessarii, ut verificari de altera vita posset: *Malleus & securis non sunt audita in domo Domini.* Hinc rectè Aithardus in 3. Reg. cap. 6. ait: *Vt formentur lapides in Libano superiore, primò extrahendi sunt in Libano inferiore; ut formentur in charitate DEI, eruendi prius sunt ab amore saeculi.*

or (o) se

Z

CA-

CAPUT V.

DE TENTATIONIBUS CIRCA BONOS
HOMINES IN SPECIE.

HActenus eæ solùm tentationes sunt expositæ, quæ hominibus in communi accidere solent; quæ verò duo sunt genera hominum, malorum scilicet, & bonorum, & utrisque variæ itidem tentationes evenire solent, ideo separatim illas explicare, & hoc quidem capite, quæ bonis oriri consueverunt; posterius quæ malis accidunt, proponere statui.

§. I.

*Tentatio I. Circa oppressionem Justorum à
injustis factam.*

I. **H**onorius Opifex vir simplex & rectus videtur, & se, & concives suos, quantumcunque bene vivere studeant, à Magistratu contra omne fas exactionibus & pœnis opprimi, & præterea etiam graves persecutiones ab inimicis & hostibus perpeti, gravissimè tentatur circa Justitiam DEI tales oppressiones permittentis, cum potius bonis tanquam fidelibus servare, & amicis assistere, eosque protegere debuisset videtur. Quæritur, quomodo contra ejusmodi tentationem armandus sit?

Responsio.

II. Inprimis illi ostendatur, quòd ob ejusmodi oppressiones gaudere potius, & honoratum credendum quàm turbari, & tristari debeat, eò quòd ex iis collige-

re possit, DEUM non inanimés duntaxat creaturas, sed ipsos etiam homines ad ipsius servitium ordinaverit? quod enim majus, gratiúsque obsequium præstari queat homini prudenti & bono, quàm si juvetur ad præstantes virtutes, ipsámque charitatis perfectionem consequendam? atqui hoc mali oppressiõibus & persecutionibus suis faciunt, uti sapienter Boëtius lib. 4. consol. prof. 4. advertit dicens: *Divina providentiâ insigne protulit miraculum, ut malos mali bonos facerent; nam dum iniqua sibi à pessimis perpeti videntur, noxiarum odio flagrantés ad virtutis frugem rediére, dum eis dissimiles esse student, quos oderunt.*


III. Secundò illi narretur, quid S. Augustinus in Ps. 25. dixerit: surgunt, inquit, procellæ stagni hujus, vides malos florere, bonos laborare, tentatio est, fluctus est, & dicet anima tua, ô DEUS, DEUS, hæccine est justitia tua, ut mali floreant, & boni laborant? & DEUS tibi respondet: hæccine est fides tua? hæccine tibi promisi? aut ad hoc Christianus factus es, ut in sæculo florerés?

IV. Tertiò jubeatur quoque S. Dionysii Areopagitæ salutarem admonitionem considerare cap. 8. de div. dicentis: Quamobrem hoc dictu veriùs: hoc potius esse divinæ justitiæ proprium, nequaquam mulcere atque enervare vitilem optimorum quorumque animum largitionibus terrenorum. Neque si quis id tentet efficere, eos absque auxilio relinquere, sed illos in statu potius honesto & inflexibili solidare, eisque, cum sint tales, pro meritis reddere. Tunc enim virtutibus propinquant Angelicis, quando rerum divinarum desiderio pro vitibus ab omni bonorum terrenorum affectio-

ne discedunt. Jam verò ad hoc utiliter exercentur, dum angustias honesti gratiâ tolerant.

V. Quartò denique audiat iterum S. Augustinum l. 10. de sanct. subtiliter disputantem: Ex scripturis divinis, inquit, *Fratres charissimi*, bonos & justos viros persecutionem malorum semper sustinuisse cognoscimus, si diligenter consideramus, inveniemus illos majora supplicia sustinuisse. Omnis enim homo, qui alium in corpore persequitur, prius ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nam si etiam illi, quem persequitur, aliquid de substantia sua tulerit, majus sibi ipse dispendium facit, quia nemo habet injustum lucrum sine iusto damno; ubi lucrum, ibi & damnum: lucrum in aëre, damnum in conscientia. Et infra: *Quaro abs te, tibi quare malè est? responsurus es: egestas angit, premii difficultas, dolor fortasse membrorum, timor ab inimico.* Tibi ideo malè est, quia pateris mala, & bene est illi, qui est ipsum malum. Tu, quod pateris, non es; malum enim pateris; sed tu malus non es. Ille hoc malum non patitur, & malus est. Noli ergo falli. Non potest fieri, ut tibi malè sit, quia pateris malum: & illi bene sit, qui est malus. Cùm enim malus est, putas, quia non patitur malum, cùm patitur seipsum? Tibi malè est, quia malum alienum pateris in corpore tuo: & illi bene est, qui malum patitur in corde suo.

Tibi malè est, qui fortè malam habes vitam: & bene est illi, qui malam habet animam?



§. II.

Tentatio II. Circa Purgatorium.

VI. **I**uliana devota Virgo audiens, unicam, eamque minimam purgatorii poenam, graviolem esse omnibus huius mundi malis, gravissimum huus poenae timorem concipit, simul tamen vehementer tentatur circa iustitiam DEI, unicum quandoque verbum otiosum non unius duntaxat horae, aut diei purgatorio punientis. Quæritur, quid ei pro hac tentatione vincenda suggerendum?

Responsio.

VII. Inprimis illi ostendat, quid Origenes de hac materia dixerit hom. 12. in Jeremiam: *Si post fundamentum IESU Christi, non solum in tuo corde aurum & argentum & lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superadificaveris, verum & ligna, fœnum, & stipulam, quid tibi vis fieri cum anima se juncta fuerit à corpore: utrumnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno & stipula, & polluas regnum DEI: an propter lignum & stipulam foris residere, & pro auro, argento, & lapide pretioso nihil mercedis accipere? sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi datur, qui consumat stipulam, fœnum, & lignum.*

VIII. Secundò illi ostendat, cum DEUS sit infinita dignitate & maiestate præditus, hoc ipso minimam illius offensam graviolem esse, quàm omnes sint offensæ, quæ ulli homini fieri possunt; imò omnes offensas, quæ hominibus præcisè ut talibus factæ sunt,

collectivè acceptas non adæquare minimam offensam DEO factam; quid mirum ergo si pœna quoque omnibus hujus mundi pœnis gravior statuatur juxta notum illud: *juxta mensuram delicti erit & pœnarum modus.*

IX. Tertiò illi ostendat utilitatem, quæ ex pœnarum talium gravitate hominibus oritur; nam exinde discunt gravitatem peccati venialis æstimare, quam sanè nulla ferè res magis, quàm pœnarum gravitas ad oculum demonstrat; quis enim si urbem aliquam peregrinus intraret, & in medio urbis maximum rogi accensum videret, & paulò pòst Reginam ipsam, charissimam Regis sponsam injici in eum cerneret, non gravissimè Regem à Regina offensum putaret? quidni ergo & venialis culpa magni fiat, ob quam Deus animam justì velut charissimam sibi sponsam gravissimè Purgatorii ignibus adjudicat.

X. Quartò illi ostendat, etiam ad meritum & virtutum cumulum augendum non parùm conducere dictam Purgatorii gravitatem; sic enim timore salubri harum pœnarum correpti homines operam dabunt, ut, quoniam nemo absque speciali gratia omnia peccata venialia vitare potest, imò, teste S. Scriptura, omnia nostra opera velut pannus menstruatus reputantur, studeant præclaris virtutibus, & operibus pœnitentiæ in hac vita satisfacere divinæ justitiæ in hac vita, ne in altera eam tam graviter punientem experiri cogantur. Æstimabunt item, & lucrari studiosè conabuntur Indulgentias, per quas ex pœnæ relaxantur. Et denique ad opem animabus purgantibus frequenter efficaciter ferendam incitantur, ut, quàm mensurâ mensi fuerint ipsi misericordiam,

dam, eâdem ipsis olim remetiatur DEUS juxta promissum suum: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Unde Nierenbergius p. i. l. i. c. 29. meritò diviniſſimum hoc vocat inventum divinæ justitiæ, utpote quod negotiatus sit amor & desiderium nostri meriti, & ardens nostræ gloriæ studium; nihil enim potest tribui beneficentiùs, post beneficium ipsum, quàm ejus dignitas.

§. III.

Tentatio III. Circa bonorum infelicem mortem.

XI. **A**Uxibius fervens Religiosus legens in Cassiano Heronem post quinquaginta annorum vitam sanctissimè transactam, tandem ex desperatione in puteum se præcipitasse; similèque quid alteri Monacho Memnoni accidisse, gravem exinde tentationem concipit, quomodo DEUS hoc justè permittere potuerit, maximè cum aliàs ex S. Augustino & aliis legerit, non posse quempiam malè mori, qui bene vixerit. Quæritur, quibus argumentis æquitas divinæ Justitiæ in hoc casu ei sit persuadenda?

Responsio.

XII. Inprimis illi ostendat, quantopere expediat, nos humiles semper esse, & imbecillitatem nostram perspectam habere, cogitareque, nos nihil ex nobis posse; ubi autem evidentiùs nostra infirmitas panditur, quàm ex tali permissione? Ex lapsu certè illius Monachi, qui illæsus ardentes prunas nudo calcaverat

pede, fortasse salus Pachomii, S. Palæmonis, & plurium aliorum sanctissimorum Monachorum pendeat, inde enim humiliores, ardentiores & omnium virtutum studiosi evaserunt.

XIII. Secundò illi narret, quid S. Bernardus l. 4.4. super Cantica sapienter adverterit dicens: *In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram DEO inveniaris non altum sapere, sed timere;* ad hunc autem timorem concipiendum oportebat non unius vel alterius periculo erudiri, & commune bonum privati capitis interitu procurari. Maxime autem eruditio nostra exemplum est, alieno periculo discimus fortunatissimè.

XIV. Tertiò illi ostendat, quòd sicut tota vita nostra meritorum campus est, sic & pugna stadium, uti S. Theodorus Studita l. 118. clarè indicavit dicens: *Quamdiu in carne sumus, præstò est bellum: neque enim fuerit virtus, nisi præsens sit bellum:* Si tempus virtutis & belli, ergo & periculi; unde autem hoc constaret, nisi aliquos videremus in omni vitæ genere perire? Hinc tam sollicitè monet Apostolus 1. Cor. 9. *Nescitis, quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis.*

XV. Quartò illi ostendat, quòd, cùm DEUS sit gratiæ suæ Dominus, eidem quoque illam dispensare, prout libet, licere. Solo certè exercitio iuris sui non modò licitè, sed etiam honestissimè negare gratiam perseverantiæ finalis omnibus posset, quantò magis ergo eum hoc æquissimè facere posse censebimus ad salutem plurimorum, ad eruditionem humilitatis.

militatis, ad manifestationem supremæ dominationis, ad ostendendas misericordiæ suæ divitias. Ideo sanè etiam in fine vitæ quandoque malorum hominum misertus est DEVS, ut & spem ex nonnullorum pessimorum salute concipere, & ex aliquorum bonorum exitio timorem salutarem disceremus.

CAPUT VI.

DE TENTATIONIBUS CIRCA MALOS
HOMINES.

ETiam circa hos aliquæ tentationes oriri possunt rudioribus, minùlque in Theologia Ascetica instructis Personis, videlicet cur majorum plerumque sit malorum numerus: cur tot bona illis à DEO tribuantur: cur æternâ pœnâ cruciari eos permittat. Quas omnes quæstiones hoc in capite breviter more meo decidam.

§. I.

*Tentatio 1. Circa malorum hominum
multitudinem.*

I. **C**Oleta Monialis, dum ex S. Scriptura audit, quòd jam tempore Noë omnis caro corruperit viam suam, & præterea etiam perpendit, quàm pauci homines boni, si cum malis comparentur, in mundo reperiantur, fatetur candidè suo Pa-

Z 5

vi

tri Spirituali, se capere non posse, quomodo hæc permissio conformis esse possit divinæ bonitati, & charitati, quâ homines DEUS prosequitur, & salvos fieri cupit. Quæritur, quomodo illi æquitas hujus permissionis sit persuadenda?

Responsio.

II. Inprimis illi referatur, quid ad hoc dubium S. Augustinus l. 254. de temp. responderit dicens, *Magna materies purgationis bonorum est abundantia malorum.* Nec mihi, volo, dicas: Saltem esset propter exercitationem nostram, ut essent mali pauci, & boni multi essent. Non attendis, quia si pauci essent mali, multis non nocerent? Vtique considera vir prudens, quia si multi boni essent, & pauci mali essent, pauci mali multis bonis nocere non auderent. Si non auderent, non exercerent. Nunc verò quia multi sunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos; & cum laboratur, sudatur; & cum sudatur, aurum purgatur.

III. Secundò illi ostendat, quòd, cum ex una parte tot emolumenta ex libertate hominibus permissa sequantur; ex altera verò tam vehementer homines ad malum per inspirationes & tentationes, per malorum exemplum & consortium, & per propriam naturam corruptam impellantur, mirum videri non debere, si plures mali, quàm boni inveniantur.

IV. Tertiò illi ostendatur, cum difficile admodum sit, tot tantisque impulsibus ad malum resistere,

re, & inter malos bonum esse; ex uno autem actu heroico, & generoso passionum victoria major Deo honor & gloria, quam per impiorum scelera inhonoratio, accedat, etiam ex hoc capite bonitati divinæ nihil contrarium fieri, si plura peccata malorum, quam opera bona Justorum permittantur.

V. Quartò illi ostendat, quòd ipsæ etiam perfectiones DEI, maximè longanimitas, Misericordia, & iustitia clariùs elucescant ex malorum hominum multitudine; quis enim neget, longanimitatem DEI per hoc maximè ostendi, quòd tot peccatores tot, tamque gravia peccata committentes non statim ad infernum detrudat? quis Rex terrenus tamdiu dissimularer graves offensas in se perpetratas? sed & Misericordia ejus ex hoc elucet, quòd illos longè infra condignum puniat; tum quòd, ut S. Augustinus l. 12. de civ. c. 3. ait, satius est damnatis plecti, quam æternum deformes esse meritis culpis sine ullius reformatione pœnæ & decore vindictæ.

§. II.

Tentatio II. Circa beneficiorum collationem improbis factam.

VI. **E**usebius homo pauper & egenus advertens, se, licèt bene vivere studeat, gravi rerum omnium inopiâ premi, pessimis autem hominibus omnia ad votum fluere, summamque divitiarum, voluptatum, & honorum abundantiam concedi, gravi-

graviter aliquoties tentatur, fateturque, se vehementer impelli, ad similem illis vitam instituendam, ut & ipse ex suis miseriis evadere, ac meliorem fortunam experiri possit. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem armandus sit?

Responsio.

VII. Primò illi ostendatur, eandem tentationem jam olim etiam Jeremiam Prophetam fuisse passum, uti ipsemet cap. 12. fatetur dicens: *Iustus quidem es tu, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Quomodo autem hanc tentationem vicerit, mox subiungit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Quasi dicere voluerit, sicut vitulus aliquis aut bos pascualis non propterea felix est censendus, quòd abundantius saginetur, quia hæc omnia ad mortem accelerandam ordinantur, ita nec impii propterea felices sunt censendi, quòd temporalibus affluant bonis, sed multò magis miseri sunt reputandi, qui ad æternas pœnas & mortem reservantur.

VIII. Secundò illi referatur, quid S. Laurentius Justin. cap. 4. de cast. connub. dixerit: *Nullum omnino absque remuneratione esse permittit (DEUS) operantem bonum: peccatoribus quidem & huius facili incolis, temporalium reddit pro labore mercedem, quam appetunt, quam querunt, & quæ con-*
tentan-

tentantur tanquam alieni à DEO & à Sanctorum hereditate extranei. Iustus autem & verè peregrinantibus aliter merita compensantur, ipsis nempe temporalis surripitur successus, nam facile amittunt cœlestia, qui terrenis abundant.

IX. Tertiò pariter narretur, quid Arnobius in Psal. 78. dixerit: Sape Dominus peccatoribus in hoc mundo latitiam, & abundantiam, & potentiam usurpam relinquit; quia scit, quæ passuri sunt in gehenna incendia, & condolens eis avertit in hoc seculo iram suam ab eis; itaque non est illis invidendum hoc misera felicitatis interstitium.

X. Quartò ostendatur, quòd favor iste temporalis pessimorum accensendus sit præcipuis Providentiæ indicis, uti D. Thomas in opus. indicat sequentibus verbis: DEUS gerit curam hominum, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit, quos membra dilecti Filii sui constituit, & templum Spiritus Sancti ordinavit, singulis singulos ad custodiam deputans & carne & sanguine pretioso Filii sui reficiens; quòdque præstantius est, peccatoribus inimicis suis vita necessaria providet abundantius, quàm amicis. Tantus est inimicorum favor, ut ipsum DEVM commendet.



§. III.

*Tentatio III. Circa pœnarum infernalium
aeternitatem.*

XI. **F**Abianus Neophytus dum ei mysteria Fidei nostræ explicantur, fatetur, in nullo articulo credendo tantam se difficultatem experiri, quantum experitur in aeternitate infernalium pœnarum, eò quòd persuadere sibi non possit, tam bonum DEUM propter unicam momentaneam mortalitèr peccaminosam cogitationem animas pretioso suo sanguine redemptas aeternum tam exquisitis tormentis punire velit. Quæritur, quomodo hæc difficultas tolli debeat?

Responsio.

XII. Inprimis illi ostendat, quid S. Gregorius lib. 5. mor. dixerit: *Ad districti iudicis justitiam pertinet, ut nunquam careat supplicio, qui nunquam in hac vita voluit carere peccato; Et nullus deus iniquis terminus ultionis, quia, quamdiu voluit, habere voluit terminum criminis.* Cui consentiens S. Bernardus ep. 252. Ob hoc, ait, inflexibilis Et obstinata mentis malum punitur aeternaliter, licet temporaliter perpetratum, quia, quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita ut nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret; imò semper vivere vellet, ut semper peccare posset.

XIII. Se-

XIII. Secundò ostendat, quòd, nisi hæc æternitas fuisset decreta, homines non sufficiens habuissent frenum ad peccata gravia vitanda; unde ipse Origenes, qui erroneè putavit, pœnas inferni aliquando finem habituras, censuit, utilissimam esse sententiam judicantium, pœnas illas æternas esse, eò quòd expertus sit, eos, qui, quamdiu eam tenuerunt, à peccatis gravibus abstinuerunt, postea ipsius sententiam secutos in omne vitium prolapsos fuisse: Cùm ergo tam utilis gubernationi mundanæ sit hæc opinio, cur DEUS eam negligeret, cùm magis intersit, non peccare multos, quàm damnari aliquos?

XIV. Tertiò ostendat, quòd parùm fuisset ad invitationem virtutis, publicatio immortalis coronæ & gloriæ, utpote quam plurimi contemnerent, nisi etiam comminatione æternæ felicitatis impulsu fuissent; utrimque necesse erat intercludi, ut saltem quæsituri asylum, cælum quæreremus; vel cum tanta injuriâ boni, ut non nisi odio mali illud appetereamus. Et certè cùm præmia & pœnas proportionatas esse oporteat, quidni justè decernatur pœna æterna peccantibus, sicut bene agentibus præmium æternum fuit constitutum.

XV. Quartò ostendatur, quòd sicut secundùm humanas leges aliqui morte puniuntur ad emendationem aliorum; alij verò à civitate perpetuo exilio excluduntur, ut eis subtractis civitas purior reddatur juxta illud Prov. 22. *Eijce derisorem, & exhibet cum eo jurgium, cessabuntque causa & contumelia*; ita conveniens quoque fuerit, ut secundùm divinum judicium aliqui perpetuò à societate bonorum separarentur, & in æternum punirentur, ut ex perpetuæ pœnæ

pœnæ timore homines peccare desistant, & bonorum societas purior ex eorum separatione reddatur.

XVI. Quintò ostendatur, quòd, sicut, qui censu perpetuo subiecit domum suam pro mutuo accepto, v. g. mille florenorum, etsi intra viginti annos totidem solvat, adhuc capitalem summam debet, ita cum damnati sint inimici DEI, nunquam debitum suum persolvere possunt, sed semper antiquæ pœnæ obnoxij sunt.



I N D E X

Præcipuarum Materiarum in hoc Opusculo.

A.

Accusatio.

Cur æquo animo toleranda. Fol. 107

Acedia.

Quomodo curanda, 165. n. 79. & 81
Quàm Deo exosa, Ib. n. 80
Quàm stulta, 167. n. 83

Angelus.

Cur casus horum permissus. 340

Ariditas.

Omnibus communis, 4
Ejusdem utilitas, ib.
Quantopere conducatur ad meritum, ib. n. 43
Quomodo toleranda, ib. n. 47
Deceptio in ea vitanda, ib. n. 48

Avaritia.

Quàm stulta, 149. n. 35
Quàm noxia, 150. n. 36
Quàm Deo exosa, 151. n. 40
Quomodo extirpanda, 150. n. 38

Aula.

Cur fugienda, 292

B.

Bona aliena.

Quomodo participanda. 154
A 2 Cal.

Index precipuarum Materiarum.

C.

Calculi mirbus.

Cur æquo animo tolerandus. 191. n. 32. & seq.

Captivitas.

Cur æquo animo toleranda. 302

Castitas.

Quomodo servanda. 238. n. 10. & seq.

Christus.

Ejus Incarnatio num conveniens. 314

An decuerit, se in cibum præbere. 336

Cur passus. 338

Communio.

Digna quæ. 90

Duplex. 91

Quantopere à Deo desiderata. 92

Cur frequenter obsunda. 103

Ejus necessitas. ib.

Ob carentiam fructûs non omittenda. 112

Cur fructus ex ea non sequatur. 115. n. 135

An propter ulum matrimonii omittenda. 117. n. 137

Compressio communicantium quomodo toleranda. 118. n. 141

Spiritualis communio quàm utilis. 115. n. 135

Cur frequentia communionis non pariat contemptum. 99

Consolationis carentia quomodo toleranda. 97

Concio.

Carentia occasionis audiendi cur toleranda. 120. n. 145. & seq.

Ob oblivionem dictorum non negligenda. 123. n. 151. & seq.

Nec ob imperitiam concionatoris. 126. n. 155. & seq. Nec

Index precipuarum Materialium.

Nec ob malam vitam ejusdem. 127. n. 161. & seq.
Nec ob longitudinem. 129. n. 166. & seq.

Confessarius.

Non facilè mutandus. 86

Confessio.

Quæ sit bona. 66

Quæ in ea explicanda. 67

Cur à nonnullis protrahatur. 68

Mora ante confessionale cur æquo animo toleranda. 82

Conjuges.

Discordia cur vitanda. 273. n. 69

Domesticorum mores quomodo tolerandi. 277. n. 76

Sollicitudo de alimonia quomodo moderanda. 280.

n. 82

Mors domesticorum cur æquo animo toleranda. 283

Contemptus.

Cur æquo animo tolerandus. 224. n. 102

Contumelia.

Cur æquo animo toleranda. 204

Conversatio cum malis.

Quomodo suscipienda. 221. n. 92

D.

Damnati ad mortem.

Quomodo consolandi. 304. n. 309

Detractio.

Quàm noxia. 163. n. 85

Quomodo vitanda. 164. n. 86

Quàm turpis. 169. n. 88

Deus.

Quàm pronus ad preces exaudiendas. 60

Cur malos toleret. 61

Quàm facilis ad veniam concedendam. 70. n. 78

Aa 2

Divi.

Index precipuarum Materialium.

Divitia.

Quanti aestimandæ.	141. n. 19
Quàm noxiæ.	20. n. 21
Quàm vanæ.	22

Dolor.

Duplex.	96
Qualis in confessione requiratur.	ib.

E.

Ebrietas.

Quàm difficulter curabilis.	157. n. 64
Quàm noxia.	158. n. 67
Quàm turpis.	16. n. 65
Quàm periculosa.	158. n. 66

Eloquentia.

Cur nimium non aestimanda.	135. n. 9
----------------------------	-----------

Eucharistia.

Ejus veritas quomodo probanda.	99
--------------------------------	----

Exilium.

Cur patienter tolerandum.	306
---------------------------	-----

F.

Fames.

Cur æquo animo roleranda.	194. n. 38
---------------------------	------------

Favor humanus.

Quàm vanus.	290
Quàm inconstans.	291
Quàm periculosus.	ib.
Quàm noxius.	ib.

Fiducia.

Quàm Deo grata.	80 Gloria
-----------------	--------------

Index precipuarum Materiarum.

G.

Gloria eterna.

Cur non omnes ad eam prædestinati. 352

Gratia.

Curefficax non omnibus concedatur. 321

Gula.

Quàm bestialis. 155. n. 48

Quàm noxia. ib. n. 62

Quomodo curanda. ib. n. 60

H.

Homo.

Cur creatus. f. 316

Cur mali inter bonos permittantur. 343

Cur tantopere affligatur. 344

Justi cur opprimantur. 354

Cur tam multi infelici morte moriantur. 359

Cur tam multi damnentur. 361

Honor.

Quis verus. 143. n. 24

Cur exhibendus. 144. n. 25

Quàm vanus. ib. n. 26

Quàm noxius. 145. n. 27

Humilitas.

Est optimum medium contra tentationes. 5

B b

Hypo-

Index præcipuarum Materialiarum.

Hypocrysis.

Quàm Deo exosa.	173. n. 96
Quàm hominibus ingrata.	ib. n. 97
Quàm vana.	174. n. 98
Quàm perniciofa.	ib. n. 99

I.

Infernus.

Cur tot homines in illum præcipitentur.	349
Cur æternus.	366

Inimicus.

Cur æquo animo toleranda.	218. n. 91
---------------------------	------------

Inimicitia.

Quomodo conciliandus.	220. n. 93
-----------------------	------------

Injuria.

Cur patienter sustinenda.	210. n. 73
---------------------------	------------

Invidia.

Quàm turpis.	152. n. 41
Quàm gravis.	153. n. 43
Quàm difficulter curabilis.	ib. n. 44
Quàm stulta.	154. n. 45
Quomodo curanda.	ib. n. 46

Ira.

Quàm fœda & noxia.	163. n. 76
Quomodo curanda.	162. n. 74 7udi.

Index precipuarum Materialium.

Judicium humanum.

Cur contemnendum. 107

Judicium temerarium.

Quam Deo injuriosum. 170. n. 90
Quam stultum. ib. n. 91
Quam noxium. 171. n. 92
Quomodo vitandum. ib. n. 93
Cur æquo animo toleranda. 314

Judicium universale.

Cur institutum. f. 347

L.

Letitia spiritualis.

Quam necessaria tentationibus vincendis. 29

Luxuria.

Quomodo curanda. 160. n. 70

M.

Meditatio.

Quid sit. f. 49
Quomodo peragenda. ib.
Ejus materia duplex. 51
Ejus facilitas. 52
Variæ praxer. 53

Monialis.

Clausura cur æquo animo ferenda. 150. n. 30
B b 2 Mor-

Index precipuarum Materiarum.

Morbus.

Quomodo tolerandus.	176. n. 4
Quàm utilis.	178. n. 6
Quantum donum.	ib. n. 7
Non averfandus ob functiones impeditas.	ib. n. 10
Nec ob lucrum impeditum.	n. 11
Nec ob molestias ministris creatas.	11

Mors.

Cur permittatur.	311
Cur æquo animo toleranda.	197. n. 4

O.

Obedientia.

Cur studiosè observanda.	241. n. 16
--------------------------	------------

Occasio.

Fuga illius optimum medium contra tentationes.	9
--	---

Officia.

Vilia cur libenter fufcipiendum.	219
Eorum privilegia.	215

Oratio.

Est optimum remedium contra tentationes.	61
Brevis est valde utilis.	34
Ejus defectus quomodo compensandus.	35
Distractioes quando culpabiles.	37
Cur non femper exaudiantur.	60
Cur differatur exauditio.	62
Illufiones quomodo cavendæ.	

Orphani.

Quantam illorum curam Deus habeat.	259
------------------------------------	-----

Paffio.

Index precipuarum Materiarum.

P.

Pastores Animarum.

Distractiones hujus officij cur æquo animo
tolerandæ.

253. n. 37.

Cur Carentia satisfactionis in officio.

257. n. 43.

Cur labiorum difficultas.

260.

Cur pericula corporis.

262.

Cur pericula animæ.

265. n. 58.

Cur laborum sterilitas.

268. n. 63.

Paupertas.

Cur æquo animo toleranda.

234. n. 4.

Quàm jucunda.

236. n. 7.

Peccata.

Cur permittantur.

318.

Cur dissimulentur à Deo.

323.

Cur vindicta differatur.

330.

An omnia vitari queant.

72. n. 79.

An repetenda in confessione.

75.

Persecutiones.

Cur æquo animo sustinendæ.

201.

Podagra.

Cur patienter sustinenda.

188. n. 26.

Postpositio.

Cur libenter toleranda.

229. n. 113.

Propositum.

In quo consistat.

73.

Bb 3

Pul.

Index precipuarum Materiarum.

Pulchritudo.

Quàm parvi æstimanda.	137. n. 13.
Quàm vana.	138. n. 15.
Quàm noxia.	139.

Purgatorium.

Cur tam grave.	357.
----------------	------

R.

Religiosus Status.

Ejus asperitas cur libenter toleranda.	245. n. 23.
Quantam jucunditatem involvat.	246. n. 24.

Respectus Humanus.

Quantopere dedeceat Christianum.	105.
Cur negligendus.	106.
Quomodo deponendus.	108.

S.

Satisfactio.

Quomodo procuranda.	81.
Quæ optima.	ib.

Scientia.

Propter virtutem despicienda.	III. n. 126.
Cur nimium non æstimanda, & amanda.	133. n. 4.

Senectus.

Cur patienter toleranda.	312.
--------------------------	------

Solitudo.

Cur amanda.	248. n. 28.
-------------	-------------

Somnus.

Sub oratione quomodo pellendus.	96.
Quantopere Deo displiceat.	ib.

Tm.

Index precipuarum Materiarum.

T.

Tentatio.

Quid sit.	f. r
Quotuplex.	3
Remedia generalia.	5
Pericula quomodo vitanda.	10
Faciunt acceptum Deo.	17
Non nocent sine consensu.	11
Sunt signum profectus.	14
Multitudo non curanda.	ib.
Nec diuturnitas.	19
Modus resistendi.	12
Timor consensus quomodo pellendus.	26
Cur permittantur.	11. & 331

V.

Vestium luxus.

Quam noxius.	29. n. 31
Quam vanus.	30. n. 32

Viduitas.

Cur magni facienda.	296
---------------------	-----

Z.

Zelotypia.

Cur vitanda.	287. n. 94
--------------	------------

☞ S (o) ☞

B b 4

Erro-


Errores.


Folio 1. lin. 17 Pl. 15 lege. Pl. 25. fol. 2. lin. 7. lege, ut affi-
geret te, atque *ibid. lin. 14. le. in iustitia & timore. ibid. lin.*
30. in adversis, adde. adversa occultat in prosperis. fol. 3. lin. 3.
dividitur, *le. dividitur. ibid. lin. 8. lege nos iussionibus. ibid.*
lin. 9. & sapius, *le. dæmon. ibid. lin. 11. p. 1. l. 5. n. 58. lege.*
p. 2. l. 3. n. 59. *ibid. lin. 14. 3. cum præpone. Scipio. ib. lin. 15.*
dele. Quotuplex sit tentatio. *ibid. lin. 24. le. 1. de Abrab. c. 8.*
ibid. lin. 27. Pl. 138. le. 25. & proba me Deus le. Domine. Fol.
4. lin. 4. negotio, *le. cogitatio. ibid. lin. 5. immunda le. im-*
munda. *ibid. lin. 10. ex. le. in. ibid. lin. 14. constringit. le. ad-*
stringit. Fol. 5. lin. le. 14. le. ut ad scopum, *ib. lin. 19. le. ut*
non intretis. *ibid. lin. 22. quando le. quomodo. Fol. 6. lin.*
7. le. 1. 3. de verbis seniorum. *ib. lin. 14. Jonatha. le. Jotaphat.*
ib. lin. 25. Ser. 1. le. Ser. 11. ib. lin. 31. Cant. 4. le. Cant. 2. Fol.
7. lin. 7. Quid est. l. Quid est. *ib. lin. 11. l. 22. l. lib. 21. ib. lin.*
13. horâ, *le. morâ. ib. lin. 24. Antheus. le. Anthæus. Fol.*
8. lin. 6. l. de zelo. *le. Ser. 2. de zelo. ib. ead. lin. Facilis est. le.*
facilior. *ib. lin. 13. Coll. 11. le. Coll. 2. c. 11. ib. lin. 21. dele.*
ejus. Fol. 11. lin. 3. le. considerare. *ib. lin. 19. Remp. le. Kemp.*
ib. lin. 22. S. 39. le. Ser. 4 in Quadrag. ib. lin. 23. carnis mole-
stias. *le. tentationis motum. ib. lin. 30. timentibus. adde. do-*
minatur. Fol. 13. lin. 4. oro. *le. ora. ib. lin. 9. viro. le. vitio.*
ib. lin. 22. patitur. le. patietur. ib. lin. 24. timere, adde. nisi.
Fol. 15. lin. 7 l. 9. le. l. 5. n. 42. *ib. lin. 10. audiêrit. le. audiuit.*
ib. lin. 13. tuis. le. malis. ib. lin. 20. aggressus. le. aggressa. ib.
lin. 25. Azario. *le. Azaria. Fol. 16. le. Tentatio III. non IV.*
ib. lin. 15. faciamus. le. faciemus. Fol. 17. lin. 4. & forte fa-
ciet. *le. si forte faciat. ib. lin. 22. l. 2. mor. c. 3. le. l. 3. c. 2. Fol.*
18. lin. 2. eijciens. *le. obijciens. ib. lin. 12. fuisse. le. super. ib. lin.*
13. septæ. *le. septam. Fol. 19. le. Tentatio IV. non V. ib. lin.*
17. l. 9. le. 5. Fol. 20. lin. 8. c. 2. le. c. 8. Fol. 21. lin. 3. l. 6. le.
5. *ib. lin. 12. cum. le. cam. Fol. 22. le. Tentatio V. non VI. ib.*
lin. 4. se. *le. sed. ib. lin. 26. cognitionis. le. cogitationis. ib. lin.*
27. vtilitati, & saluti. Fol. 23. lin. 3. leviter. *le. leniter. Fol.*
24. lin. 10. fit. *le. fiet. ib. lin. 12. l. 9. le. l. 5. ib. lin. 27. accidere.*
le. accedere. ib. lin. 30. n. 224. le. 204. Fol. 25. lin. 13. inopi-
nate. *le. inopinatus. ib. lin. 14. ser. 15. le. 5. ib. lin. 16. cum. le.*
cui. *ib. lin. 17. le. benigna erga nos. ib. lin. 21. prævidit. le.*
præ-


prævider. *Fol. 26. Tentatio. VI. non VII. ib. lin. 23. Tom.*
2. p. 3. Fol. 28. lin. 1. n. 4. le. Tr. 4. ib. lin. 6. cuipam. le. cuipi-
am. Fol. 29. lin. 14. Quarto. le. Quinto. Fol. 30. Tentatio
VII. non VIII. ib. lin. ult. Dei. le. mea. Fol. 31. lin. 4. post
præbuit. le. Et nunquam aliquid fortiter gessit. ib. lin. 23. fa-
cturum. adde Deo. Fol. 32. lin. 9. typo. le. typus. ib. lin. 22. le.
refarcire debet. ib. lin. 23. XLII. le. I. Fol. 35. lin. 23. VII. le.
VI & consequent. Fol. 36. lin. 1. poteris. le. poterit. ib. lin. 18.
orationem. le. oblationem. Fol. 37. lin. 20. quantacunq. le.
quantamcunque. ib. lin. 22. contemplationis. l. simplicitatis.
Fol. 40. lin. 28. voluntarias. le. involuntarias. Fol. 46. lin.
19. consolatio. le. Tenatio. Fol. 47. lin. 1. relictum. le. reli-
ctam. Fol. 50. lin. 16. formandum. le. formantur. Fol. 52.
lin. 18. c. 21. le. 19. Fol. 56. lin. 10. c. 25. le. c. 24. ib. lin. 17. ju-
dicavit. le. indicavit. ib. lin. 18. dele ostendit. Fol. 57. lin. 11.
exauditioni. le. non exauditioni. Fol. 61. lin. 16. elicies. ante.
de hoc. Fol. 64. lin. 1. conversationem le. conservationem.
ib. lin. 26. sollicita. le. solliciti. Fol. 66. lin. 1. XII. le. IXL. Fol.
67. lin. 4. suidosi. le. studiosi. ib. lin. 8. obligantur. le. obliga-
tur. Fol. 70. lin. 1. non est. le. non sunt. ib. lin. 4. quod. le. qui.
ib. lin. 17. ipsa. le. ipse. ib. lin. 22. perfectum. le. perfectam. Fol.
71. lin. 6. concil. le. consol. ib. lin. 7. miseretur. Pater timentib-
us se. le. misertus est Dominus timentibus se. Fol. 73. lin. 32.
le. aliaque mala &c. Fol. 74. lin. 8. Ps. 122. le. Ps. 115. Fol.
77. lin. 13. consilendo le. confidendo. Fol. 78. lin. 11. luna.
le. lana. Fol. 82. lin. iustit le. instit. Fol. 87. lin. 16. invene-
rit. le. invenit. ib. lin. 18. bonitatem. adde fidei. Fol. 88.
lin. 25. Eccl. 2. le. Eccl. 9. ib. lin. 27. jucunditate. le. suavitate.
Fol. 91. lin. 21. potest. le. potest. Fol. 95. lin. 28. supplici. le.
simplici. & accedere le. accede. Fol. 97. lin. 6. turbam. le. tu-
multum. Fol. 98. lin. 2. aderit le. advertit. Fol. 101. lin. 28.
in nobis. dele. Fol. 105. lin. 12. le. copiosi & magni. ib. lin. ult.
proponere. le. præponere. Fol. 109. lin. 13. conservandam. le.
consequendā. F. 115. lin. 1. Matth. 6. l. 5. F. 117. lin. 25. causa.
le. causa. Fol. 20. lin. 15. in se. dele. F. 122. lin. 23. protectus. le.
profectus. Fol. 123. lin. 17. eam. le. id. Fol. 124. lin. 22. can-
dem. le. eremum. Fol. 130. lin. 31. le. non pigrum. Fol. 134.
lin. 22. le. Ximenius. Fol. 138. lin. ult. eum. le. eam. Fol. 139.
lin. 15. pulchrum. le. pulchram. ib. lin. 20. Eccl. 5. le. 9. ib. lin.
 28. for-

28. forma. le. decore. *Fol. 142. lin. 2. le. divitem intrare.*
Fol. 147. lin. 26. duxerit. le. dixerit. Fol. 150. lin. 17. le.
le. ex. Fol. 151. lin. penult. artem. le. autem. Fol. 155. lin.
10. le. inferioribus. Fol. 156. lin. 18. ex ea. le. ex eo. ibid.
lin. 19. innumeræ. l. innumera. Fol. 158. lin. 10. faucium. le.
faucium. ib. lin. 20. corpora. le. corda. Fol. 160. lin. 8. quia.
le. quoniam. ib. lin. 16. c. 19. le. c. 29. fol. 166. lin. 6. le. viri-
bus meis. & domus Domini. le. domus Dei mei. ib. lin. 7. le.
non enim homini. fol. 167. lin. 15. asuetus. le. assuetus. fol.
170. lin. 15. donec. le. quoadusque. fol. 171. lin. 18. le. judicā-
runt. fol. 172. lin. 11. cavens. le. caveas. ib. lin. 12. le. homo
frustra. leniter. le. leviter. ib. lin. 23. videatur. le. videntur. ib.
lin. 25. Patrum. le. Petrum. fol. 174. lin. 19. le. quoniam Deus.
fol. 175. lin. 17. illa. le. illæ. fol. 177. lin. 8. prius. le. pius. ib.
lin. 11. Narulo. le. Marulo. ib. lin. 19. 12. Jul. le. Aug. fol. 178.
lin. 3. gravissima. le. gravissimo. fol. 179. lin. 17. le. immiten-
tem. fol. 181. lin. 17. si. le. P. ib. lin. 18. cui idem. le. cuidam.
fol. 182. lin. 2. le. patienter. fol. 184. lin. 17. destitutus. le. de-
stitutus. fol. 186. lin. 30. le. voluntate. fol. 190. lin. 16. le.
septimius. fol. 191. lin. 9. quæriter. le. quæritur. fol. 192. lin.
4. le. murmurationem. ib. lin. 9. le. nomen novum. fol. 193.
lin. 28. le. Præmiatorem. fol. 199. lin. 18. le. accelerant. ib.
lin. 19. propria. le. propiora. fol. 206. lin. 19. le. convician-
tem. ib. lin. 20. le. 1. offic. c. 5. ib. lin. 25. tace. le. taces. ib. lin.
31. contemnatur. le. condemnatur. fol. 209. lin. 8. le. homi-
nes foris. ib. lin. 28. le. statuit ad. fol. 210. lin. le. mihi vindi-
cta. ib. lin. 21. Eccl. c. 12. le. c. 28. fol. 212. lin. 14. placare. le.
placere. fol. 214. lin. 21. Eccl. 7. le. Luc. 7. fol. 215. lin. 2. le.
Beelzebub. ib. lin. 18. l. c. 3. le. 1. c. 3. fol. 218. lin. 14. in me.
le. adversum me. & nisi data. le. datum. ib. lin. 19. le. non quid-
quid. fol. 227. lin. 11. le. verbera. fol. 239. lin. 3. le. exclāma-
rit. fol. 240. lin. 10. intet. le. inter. fol. 246. lin. 20. le. vera-
citer efficitur. ib. lin. 31. sentimus. le. sumus. & compunctio-
nem cordis. fol. 251. lin. 5. Eustach. le. Eustoch. ib. lin. ult. le.
cum videret. fol. 254. lin. 13. commodoque. le. commodaque.
fol. 255. lin. 21. placeat. le. placeant. fol. 257. lin. 12. le. coram
filiis Israël. fol. 259. lin. 20. ex. le. à. fol. 260. lin. 20. tantope-
le. tantopere. fol. 261. lin. 30. voluntate. le. voluprate. fol.
273. lin. 13. nullum. le. nullam. fol. 274. lin. 3. Eccl. 4. le.
Eccl. 26.


Eccl. 26. fol. 275. lin. 17. Venenationem, le. Venationem.
fol. 276. lin. 27. illam, le. illum. fol. 278. lin. 17. poterit le.
poteris. ib. lin. 25. cruciamento, le. cruciamenta. fol. 281. lin.
5. non le. nunquam. fol. 282. lin. 11. le. venient cum exulta-
tione. ib. lin. 20. Petri. l. le. 1. c. 5. f. 283. lin. 13. sumus, le. su-
mus. ib. lin. 17. le. inconsolabiliter. fol. 284. lin. 8 le. Blestillæ.
fol. 287. lin. 10. caicturam, le. laturam fol. 290. lin. ult. time-
mere, le. timere fol. 295. lin. 16. affixi, le. affligi. fol. 296. lin.
18. Galbam, le. Gallam. ib. lin. 23. quod le. quò. fol. 297. lin.
2. contineri, le. continere. ib. lin. 9. naturalis, le. naturali. ib.
lin. 22. Exod. c. 12. le. c. 22. ib. lin. 27. le. deducentem fol. 298.
lin. 22 ad Tim. 4. le. 1. ad Tim 5. ib. lin. 4. in Domino, le. in
Deum. ib. lin. penult. le. transitoriaque. fol. 299. lin. 12. Ps. 9.
le. Ps. 10. fol. 300. lin. 22. quia, le. etenim. fol. 312. lin. 7. vol-
ventes le. volvens. ib. lin. 17 alterius, le. ulterius. fol. 313.
lin. 3. 2. Cor. 11. le. 12. fol. 326. lin. ult. parat le. paret fol. 339.
lin. 8. l. charitati. fol. 345. lin. 17. gratiora, le. graviora. f. 384.
lin. 16. jubilatione, le. subitatione. fol. 360. lin. 17. le.
Theodorus. fol. 367. lin. 16. felicitatis, le. infelicitatis.





























Th
2829